
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY





DE USU INFINITIVI APUD LUCANUM, VALERIUM FLACCUM, SILIUM ITALICUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS


SCRIPSIT

JOANNES SCHMIDT

MARCHICUS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXI.


HARVARD COLLEGE
APR 23 1912
LIBRARY

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

Praefatio.

Quicunque in intimam alicujus linguae constructionem penetrare conati legitimam grammaticorum praeceptorum normam constituere in animo habeant, minime acquiescere debere in perquirendo usu grammatico qualis occurrat apud classicos quos vocant scriptores sed potius accurata quaestione investigare, quomodo lingua illa nata, progressa, exculta, denique in pejus delapsa sit, quis est quin concedat? Talis historica quae dicitur grammatica linguae latinae, a Ritschelio, praestantissimo illo philologorum principe, nostra aetate condi coepta mox laete efflorescebat. Imprimis memoratu dignus videtur Holtzius qui libro quem inscripsit „syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium“ laudabile studium atque operam ad priscum sermonem lat. investigandum contulit. Primus deinde Draegerus, collectis et emendatis studiis quae viri doctissimi vel de singulorum scriptorum dicendi genere vel de quibusdam universae latinae orationis grammaticis praeceptis publici juris fecerant, conatus est libro „historische syntax der lateinischen sprache“ inscripto, copiosius de universae latinatis grammaticis legibus quae ad syntaxin pertinent, disserere. Ut autem ante Draegerum studia virorum doctissimorum praecipue vel ad priscae vel ad classicae quam vocant aetatis scriptores spectabant ita etiam in libro Draegeri posteriorum temporum auctores, solo excepto Tacito, leniter modo perstringuntur. Idem dicendum est de Kuehneri grammatica latina paucis annis postquam Draegerus librum suum publici juris fecit in publicum emissa. Concedendum sane est, poetas quos argenteum

aevum procreavit in dicendi elegantia atque ornatu longe luminibus illis poesis Romanae, Vergilio, Horatio, Ovidio, aliis qui illis fortunatis temporibus florebant quum „pacata re publica dignitas gravitasque et in moribus et in litteris erat“, cedere, tamen propter dictionis idiomata novitatemque pingendi summi momenti esse debent omnibus ad universae latinae linguae cognitionem pervenire nitentibus. Omnino autem parum illi poetae pro carminum dignitate, id quod valde dolendum est, adhuc studia vv. dd. exercuerunt. Quae neglectio aliquo modo ferenda videtur in iis carminibus, quae, justa librorum manuscriptorum recensione a vv. dd. adhuc nondum instituta, mendis abundant. Valde vero stupere debemus, quod in eorum quoque poetarum syntaxin, quorum carmina curis criticis quam emendatissima sunt, nemo fere usque ad nostrum tempus diligentius inquisiverit.

Qua de causa me, hoc libello accuratius de usurpatione infinitivi syntactica qualis inveniatur in carminibus Annaei Lucani, Valerii Flacci, Silii Italici (de infinitivo Statiano cf. Lohrii dissertationem inauguralem: de infinitivi apud P. Papinium Statium et Juvenalem usu. Marburgi 1876.) accuratius disserere conatum neque inutilem neque infructuosum laborem suscepisse confido.

Nam id quod supra diximus, aevi argentei poetas nimis usque ad hoc tempus pro carminum dignitate neglectos esse, imprimis in epicos latinos qui I° p. Chr. seculo floruerunt quadrat. Ut enim omittam curam criticam Thilonis in Flaccum et Silium, Useneri in Lucanum aliorumque libellos qui vel codices illorum poetarum accurate comparantes genuina poetarum verba restituere conati sunt vel de fontibus, scriptis, ingenio illorum in universum disputaverunt, (cf. Huebneri, „Grundriss zu Vorlesungen ueber roem. Literaturgeschichte“ 1878. pgg. 145. 148. 150. 336.), nemo adhuc de grammatica ratione qua illi in carminibus suis usi sint accuratius disseruit praeter Bertholdum („de Lucani elocutione“ Grimmae 1878. 4.: diss. disputationem de verborum figuris continens). Koerberum („de Lucani

usu syntactico. Petersbg. 1874" (quem libellum inspicere mihi non licuit), Schmitzium („de Valerii Fl. dicendi genere quaestt." Monasterii 1872: de collocatione verborum et de ellipsi verbi „esse"). Neque vero quum materiam grammaticam persaepe tractatam retractare conati simus timemus ne quasi aquam in mare fudisse videamur. Illis enim libris quibus copiosius de usu syntactico infinitivi apud poetas latinos agitur aut obiter aut omnino non de nostris disputatur. Primus Merguetius (de usu synt. infinitivi latini. Regimonti 1863) hunc locum tractavit. Qui cum priscae tantum et classicae latinitatis usui operam dedisset, de Golenskius („de inf. apud poetas lat. usu," diss. Regim. 1864) studiis suis adjectis rationeque habita etiam usui posteriorum poetarum opusculum illius supplevit atque emendavit. Uterque autem ut nudi infinitivi constructiones memoratu dignissimas praetermisit ita de acc. c. inf. usu exempla afferre plane neglexit; Draegerus denique et Kuehnerus l. l. uberrime sane de tota hac quaestione disputaverunt sed minime tam accurate ut abunde ei esset satisfactum.

Itaque quum constet poetae alicuius proprietates in dicendi genere optime intellegi si eum comparaveris et cum antecedentibus et cum posterioribus scriptoribus, non acquiescendum putavi in consideranda elocutione nostrorum, sed duce Draegero tanquam historiam cujusque constructionis enarrare studui. Qua in re summo mihi adjumento fuerunt cum libri laudati tum hi: Votsch, „quaestt. de infinitivi usu Plautino," diss. Hal. 1874, Hildebrandt, „ueber einige Abweichungen im Sprachgebrauch des Cicero, Caesar und Livius," progr. Dortmund. 1854. Kuebler, „de inf. apud Romanorum poetas a nominibus adjectivis apto." progr. Berolin. 1861. Holtze, „syntaxis Lucretianae lineamenta." 1868. Kuehnast, „Livian. Syntax." 1872. Wilhelm, „de inf. linguarum sanscritae bactricae . . . graecae latinae goticae forma et usu. Isenaci 1872." Bucht, „de usu infinitivi apud Ovidium commentatio." Upsalae 1875.

Krause, „de Vergilii usurpatione infinitivi," diss. Hal. 1878. Mohr, „de inf. historico," diss. Hal. 1878. Perlegi autem accuratius ut cognoscerem, quando quaeque constructio orta esset quamque late patesceret. hosce scriptores: reliquias poetarum scenicorum (ed. Ribbeck), Ennii (ed. Vahlen.), oratorum Romanorum (ed. Meyer.), histor. Rom. vol. I (ed. Peter.), scriptorum r. rust. (ed. Schneider.), Lucilii (ed. Lachmann), fabulas Terentii (Fleckeisen), Lucretium (Lachmann), Varronis Sat. Men. (A. Riese), Caesarem (ed. Nipperdey), Sallustium (ed. Dietsch), Nepotem et Vellejum (ed. Halm), Curtium (ed. Foss), Plin. min. (ed. Keil.), Tacitum (ed. Nipperdey), Florum (ed. Tauchn.), Petronium (ed. Bücheler.), carmina Catulli, Tibulli, Propertii (ed. Luc. Müller), satiras Persii et Sulpiciae (ed. O. Jahn), fabulas Phaedri (ed. Burmann.), poet. latin. minores (ed. Baehrensii vol. I), Apulcji opera (ed. Hildebr., metam. ed. Eysenhardt.), Claudiani opera (ed. Jeep.).

De vi ac natura infinitivi in universum permulta inde a stoicorum temporibus usque ad nostram aetatem disputata sunt quae explicare hoc quidem loco et longum et supervacaneum videtur quum virorum dd. quae huc spectent judicia Wilhelmus (l. l. pg 1—4) et Votschius (l. l. pg 3—7) accurata examinatione perpensaverint. Satis igitur habeo commemorare me ab eorum partibus stare qui casuum significationes infinitivos esse putent. Quae infinitivorum vis perspicue ex mea quidem sententia iis locis cernitur quibus infinitivi propria nomini substantivi indole praediti sunt; cf. apud nostros:

Luc. 9,853: Juvat aetheriis ascribere causis Quod peream coeloque mori.

7,739 (cf. Ov. Met. 13,299. Nuc. 5): Neque enim donare vocabo Quod peream.

Val. 7,428: Occumbere tandem Poscimus [ex Baehrensii conjectura pro cod. V scriptura „possumus"].

Sil. 7,94: Summumque decus quo tollis ad astra Imperii,

Romane, caput parere docebat. 7,545: Magna mercede piabunt Erroris rabiem et nostrum violasse parentem. 15,379: Vulnera et exhaustas saevo certamine vires Ac minimum laetis excusat fidere rebus. 573: Hortandi genus acer habet praecedere ductor. — De numero denique casuum infinitivi sequor virorum grammaticae comparativae studiosorum imprimis Wilhelmi sententiam adeo ut infinitivos omnium casuum vicibus fungi posse censeam. Quod quo facilius intellegatur per totam hanc quaestionem illud Krausei (quem praecipue in disponenda materia secutus sum) tenendum putavi, „si quando dubium sit quem infinitivo alicunde apto tribuamus casum, circumspici oportere, qui indidem suspensi casus inveniantur nominum, nominum casus si non inveniantur, ad structurarum aliarum decurri similitudinem".

Denique in afferendis locis Lucani secutus sum Weberi editionem a. 1828 publici juris factam, in versibus Valerii enumerandis Thilonis, in laudando Silio Rupertii editionem.

---

§ 1.

De infinitivo subjecti loco posito.

Praedicatum hujus infinitivi est:
I. verbum impersonale;
II. verbum personale;
III. nominis substantivi
a) nominativus, b) genetivus, c) dativus.
IV. nominis adjectivi
a) nominativus, b) genetivus.
V. adverbium cum copula conjunctum.

I. v. impersonale

a) activum.

contingit:

Lucan 1,32: Nulli penitus discindere ferro
Contigit 5,529. 6,779. 8,844.
Val. 7,537: Contingat cui deinde mori.
Sil. 12,283: Mea terga videre
Contigit Ausoniae.

De hac structura cf. Draeger. l. l. II pag. 341. Exemplis ejus addo: Tib. 1,3,33. Ov. Am. 1,3,18. A. A. 2,638. Met. 10,334. 11,220. Pont 1,3,48. 3,1,145. saep. Plin. Epp. 1,16. 6,26. 8,6. 11. ad Tr. 17. Pan. 34. 58.

juvat:

Luc. 1,47: Seu sceptra tenere
Seu te flammigeros Phoebi conscendere currus
Telluremque lustrare juvat. 1,88. 2,190. 282. 300. 443. 4,569. 253. 5,267. 732. 822. 7,564. 655. 698. 794. 698.

8,355. 576. Val. 1,249. 3,336. 4,175. 326 6,338. 7,504. 8,169. Sil. 2,276. 4,36. 779. 5,417. 14,629. 16,580.

„Juvat", Draeg. p. 337 contendit, „findet sich bei Cic. nur mit dem Acc. c. Inf. . . in der Prosa erst seit Livius". Quapropter laudo Cic. Fam. 5,3,10 „sin me astutum juvat fingere". Ceterum exemplis ejus praeter illa quae Krauseius (l. l. pg. 17.) congessit haec adjungo: Tib. 2,3,78. [4,3,9. 7,9] Germ. Arat. (Baehr.) 298. Grat. Cyneget. 200. 248. Paneg. in Pis. (Baehr. poet. lat. min. XV) 59. Pers. 2,62. 5,24. 62. Plin. Epp. 8,14. Paneg 36. 52.

nocet:

Luc. 3,365: Hostis mihi deesse nocet. cf. 1,289.

Hujus structurae a Draegero mentio non fit. Quocirca laudo: Tib. 1,8,25 „corpus tetigisse nocet", Ov. Met. 6,38. 9,478. 15,131. Fast. 3,191. 4,757. Pont. 2,6,38. Trist 2,411. Nuc. 107. Phaedr. 5,1,7.

placet:

Luc. 2,56: Perdere nomen
Si placet Hesperium.
cf. 2,353. 394. 670. 3,509. 7,58. 108. 384. 8,793. 9,387. 10,325.

Val. 2,403: Jamne placet primo deducere vela sereno?
cf. 6,3. 7,344

Sil.: 7,397: Placeat—prosternere—hostem.
cf. 12,485. 17,512.

Non recte Dr. de hac constructione pg. 337 sic explicat: „den blosen Infinitiv hat zuerst Brut. ap. Cic. Fam. 11,1,6." Legimus enim apud Claud. Quadrig. (Annal. 3 fr. 41): „nobis non placet pretio aut praemio aut dolis pugnare" et apud Ennium (fr. 340 Ribb.) „Philosophari. . . . omnino haut placet." Praeterea, quum Draegerus laudatis locis Horat. et Liv. pergat: „aus späterer Zeit kenne ich nur noch Flor. 2,7,4. 9,2, ego quidem addo: Curt. 5,5,9. 10,5. 7,4,5. 8,10,10. 10,7,20. Plin. Epp. 4.13,5. 7,5,8. Quintil. (ed. Spald.) 1,4,11. 5,12,15. 9,2,1. 12,1,40.

De passiva forma hujus verbi Infinitivo apposita infra (I^b). disputaturus sum.

sedet:

Val. 2,283: Si sedet Aegaei scopulos habitare profundi.
7,427 Occumbere tandem
Possumus idque sedet quam non quaecunque subire
Patris jussa tui.[1])
Sil. 2,385: Quid sedeat legere ambiguis neu fallere dictis
Imperat.

Hic usus a Dr. non commemoratur. Quapropter exemplis allatis addo Stat. Theb. 1,324 et 3,459. (v. Lohr: dissert. in praef. laudatam.). cf. Flor. 2, 15. 9 „sedet sententia c. inf.“.

stat (= **placet**)**:**

Sil. 2,235: Stat invadere.
cf. 3,68. 6,510. 10,657. 14,555.

Exemplis Draegeri pg 305 de hoc usu allatis adjungo: Catull. 73,4. Ov. Her. 2,143. Fast. 4,602 (Met. 8,67 stat sententia.) Claud. 36,323.

restat:

Val. 1,458: Restat deprendere patris
Relliquias.

Dr. singulos Terent., Lucret., Horat., Ov. locos affert; tum ita pergit „und so noch bei Statius“; quapropter addo: Grat. Cyneg. 497. Ov. Fast 5,369.

est, idem significans quod licet, cum Infinitivo conjunctum saepissime occurrit apud Silium, apud Lucanum hanc constructionem non inveni. Atque Siliana quidem exempla sunt haec:

1,162: Non ense virum non eminus hasta Sistere erat.
cf. 3,408. 6,488. 8,63. 12,695. 14,215; 581. 13,823. cernere erat: 2,415. 6,10. 41. 694. 8,435. Eodem modo: 13,698

[1]) h. l. audaci sane ellipsi voculae „potius“ adhibita sic explicandus est: potius placet diem supremum obire quam imperata patris tui subterfugere.

Fuerit delere Saguntum
Exaequare Alpes imponere vincula sacro
Eridano, fredare lacus cet.

Valer. 6,487:[1]) Quando tibi cernere reges (sc. erit)? De hac constructione falso Draegerus pag. 293 sq. sic disserit: „nirgends findet sich die Construction in der Prosa vor Livius." Duo enim mihi praesto sunt loci quibus haec sententia redarguitur: Varr. apud Gellium N. A. 18,12 (cf. Kraus. l. l. pag. 16): „est animadvertere" et Sallust. Jug. 3,1: „fuit uti." Ceterum hosce locos Draegeri exemplis adjungendos puto: Plaut. Pers. 69; Mostell. 1102. Ter. Heaut. 482 (?). Mumm. 1 (Ribb). Lucret. 4, 840 (loc. Lucret. quem Draeg. laudat ex optimorum codd. scriptura Lachmannus legit: „nonne videre" pro „nonne videre est"). Hor. Epod. 17,25 sq. Sat. 1,2,101. 5,87. 2,5,103 sq. Epp. 1,1,32, Prop. 3,10,21. 14,30. Plin. Epp. 1,8,3. Gell. 6,6,11. 10,5. 7,3,52=11,2,2. 7,20,4=10,9,2=11,6,3 saep. Claud. 1,46.

in rem est:

Sil. 7,244: In rem cunctari fuerit. (cf. Tac. Hist. 3,8.)

De hoc usu cf. Draeg. pg. 346.

prodest:

Luc. 1,669: Quid prodest ponere finem? cf. 4,761 9,897.

Val. 3,173: Nec tibi Thessalios tunc profuit, Ornyte, reges
Hospitiis aut mente moras fovisse benigna
Et beni laribus sacrasse fidem.

De hac constructione Dr. p. 339 disputat. Exemplis ejus addenda sunt haec: Tib. 1,8,70. Claud. 8,116 (capi).

superest:

Luc. 8,212: Superest fidissime regum
Eoam tentare fidem.

Sil. 5,164 (cf. 10,284):
Solum jam superest Tarpejo imponere castra.

---

[1]) Futurum copulae „esse" apud Valerium in interrogationibus et exclamationibus saepe omitti, permultis allatis exemplis Schmitzius — l. l. pag. 34 — luculentissime demonstravit.

Draegerus (p. 341 fin.) his locis non laudatis postquam attulit exempla e Ovidii carminibus petita pergit „dies letztere (sc. superest) noch Lactant. Opif.“

b) passivum.

concessum est (= licet):

Luc. 10,25: Solique (tibi) vagari
Concessum per utrosque polos. cf. 6, 607.

Sil. 11,259: Nec plura affari
Concessum.
cf. 5,407. 7,217. 13,646.

De hac structura cf. Dr. pg. 318. Alia exempla infra attuli ubi de activa forma hujus verbi infinitivum objecti instar positum excipiente disputavi.

decretum est (= libet):

Luc. 1,289: Socium depellere regno Decretum est.

De hoc usu cf. Dr. pg. 303[c].

fixum est (et „f. stat“):

Sil. 2,363: Depellere fixum est. cf. 3,114. 10,644.
Huc referendum puto:

Val. 5,289: Stat pectore fixum
Aeetae sociare manus.

Neutram structuram a Dr. commemoratam inveni. Quapropter addo Tacit. Ann. 1,47: fixum Tiberio fuit — omittere — dare. Apud ceteros quos ego quidem in elaboranda hac dissertatione perlegi scriptores hunc usum non inveni.

impressum est (= placet):

Sil. 7,9: Ac ni sacra seni vis impressum que fuisset
Sistere fortunam cunctando adversa foventem —.

Haec structura, a Dr. non commemorata, nisi apud Silium non occurrere videtur.

permissum est (= licet):

Luc. 1,119: Morte tua discussa fides bellumque movere
Permissum est ducibus.
cf. 4,517. 5,61. 9,761.

Val. 1,169: O quantum cognoscere caeli
Permissum est.

Sil. 1,25: Cingere qua secto permissum litora tauro.

De hac constr. cf. Dr. pg. 318.

licitum est:

Sil. 6, 431: Dextram mihi prendere dextra
Non licitum?

cf. 7,94. 739. 9,412. 14,198 (Inf. Pass.). 14,266. 15,608.

De hoc usu cf. Dr. p. 338. Exemplis ejus addo Ter. Hec. prol. 22.

placitum est:

Luc. 10,416: Latium sic scindere corpus
Dis placitum est.

Sil. 7,264: Hinc pestem placitum moliri et spargere causas
In castra ambiguas. cf. 11,609. 12,680.

De hac structura cf. Dr. p. 337,7 et quae supra s. v. „placet“ (pag. 11) disputavi.

probatum est (= placet):

Sil. 13,473: Probatum est
Hyrcanis adhibere canes.

Hujus structurae a Dr. mentio non fit.

propositum est:

Luc. 7,58: Quam vobis vertere cuncta
Propositum sit.

Haec quoque constructio quamquam ne a classico quidem sermone abhorret a Dr. praetermittitur. Quocirca laudo: Cic. Nat. D. 1,5,12. pro Sest. 13. Brut. 36. Orat. 19. Liv. 34,5. 39,28. 40,4. 10. 57.

relictum est:

Luc. 5,298: Mores malos sperare relictum est.

Dr. pg. 324 falso contendit: „nirgends bei relinquitur“ (sc. occurrit solus Infinitivus). Praeterea laudandi sunt duo loci, ubi eadem structura cum simplici verbo passivo conjungitur: Sil. 4,626 „cernere linquitur“ et 9,165 „celare linquetur.“

II. verbum personale

a) activum.

Sil. 4,748: Nec superasse jugum finit mulcetve laborem.
10,332: Corque acuit nondum portas intrasse Quirini.

b.) passivum.

adimo:
Sil. 9,160: Felix o terque quaterque
Cui fatis genitorem agnoscere ademptum. cf. 9,425.

damno (= nolo):
Sil. 3,331: Damnatum vivere paci.

do:
Luc. 1,452: Solis nosse deos et caeli numina vobis
Aut solis nescire datum. cf. 6,407. datur 5,355 [1]) et 471.
Valer. 4,501: Nullaque datur considere terra.
cf. 4,587. 598. 620. datum 1,321.
Sil. 1,528: Tegimen datur mutare.
2,625. 3,162,534; 637. 4,196; 509,547. 4,575. 647. 5,40. 6,205; 423; 659. 7,134. 8,2. 132. 9. 113. 243. 275. 10,57. 368 cet. datum est: 1,14. 78. 4,679. 5.410. 9.70. 11, 316. 11.596. 12,705 saep.

eripio:
Sil. 8,84: Ereptum est ora videre.
cf. 12,505.

---

[1]) hunc locum qui sic in omnibus codicibus legitur:
„Sperantes omnia dextras Exarmare datur" Kraus. l. l. pg. 35 sic interpretatur ut „sperantes" substantivi subjecti loco positum sit. Attamen quum apud Lucanum non modo ex passiva sed ne ex activa quidem verbi dandi forma Acc. c. J. aptus inveniatur ego quidem puto, Infinitivum exarmare subjecti vices tenere adeo ut verbum „sperantes" conjungendum sit cum „dextras"; neque vero metaphoram illam „dextrae" pro „milites" nos offendere debere monent hi loci:
Luc. 5,252. 310. 326 manus = milites.
Sil. 12,351 Signa videt pugnaeque avidas ascendere dextras cf. 15,92. 385. 564. 16,32. 85. 17,331 al.

impono:

Sil. 10,655: Damnatis Siculas longe meritare per oras
Impositum.

nego:

Luc. 1,70: Invida fatorum series summisque negatum
Stare diu.

Sil. 1,295: Poenis urbi imperitare negatum.
cf. 5,637. 12,490 Intravisse negatur.

pono:

Luc. 9,387: Quibus in nullo positum est evadere voto.

reperio:

Sil. 3,460: Injecta tellure repertum
Conexas operire trabes.

De hoc usu qui perraro quidem sed ubique in latino sermone occurrit cf. Draeg. pag. 342.

III. Praedicatum infinitivi est substantivum.

a) nominat. subst.

Primum de iis substantivis dicendum videtur quibus circumscribuntur verba impersonalia, deinde de iis quae appositionis instar minus arte cum infinitivo cohaerent.

ars:

Val. 6,152: Omnibus artes
Mirificae: nunc vere novo compescere frondes,
Nunc subitam trepidis Maeotin solvere plaustris.

Sil. 3,237: Ars erat in pugna fusum occuluisse cruorem.
4,120: Huic superos sentire monentes
Ars fuit ac penna monstrare futura magistra.

Dr. tantum Cic. ad Att. 7,25 laudat. Itaque addo Tac. Ann. 3,66. Quintil. 5,7,32. (cf. infra „artis est.“ p. 25.)

capital:

Sil. 13,155: Capital committere Martem Sponte viris.

Hic usus primum occurrit apud Lucilium (fr. 532) „scimus capital esse irascier.“ Praeterea mihi haec exempla suppe-

ditant: Curt. 8,4,17. 9,34. Pomp. Mel. 1,9,7. Quintil. 9,2,6. Suet. Cal. 24. Ceterum cf. Dr. p. 345.

causa:

Luc. 4,347: At nunc sola mihi est orandae c. salutis:
Dignum donanda, Caesar, te credere vita. 7,675.
Sil. 4,793: Heu primae scelerum causae —:
— naturam nescire deorum.

Accuratius de hac constructione infra (§ 4. II.) disputavi.

crimen:

Luc. 2,288: Cr. erit superis et me fecisse nocentem.

Eadem structura, a Dr. non commemorata, occurrit in sentent. quae feruntur Publ. Syri 29 (Ribb.) „amare crimen est seni"; similiter jam Cicero (Verr. 5,170) „civem Romanum scelus est verberare."

cura:

Luc. 7,142: Cura fuit lectis pharetras implere sagittis.
Sil. 6,94: Cura seni tristem depellere fesso
Ore sitim et parca vires arcessere mensa.

De hac structura cf. § 4. II. hjs. opusculi.

decus:

Luc. 1,174: Magnumque decus ferroque petendum
Plus patria potuisse sua.[1])
Sil. 3,343: His pugna cecidisse decus. 11,366:
Cui tanta est voluisse decus?
17,287: Decus, nullo superabile bello
Progenuisse caput.
cf. 5,151. (opus et decus c. J.)

fas:

Luc. 1,360. Fas est expromero voces.
cf. 2,81. 8,409. 9,244. 983. 10,195. 416. Val. 1,508. 3,309. 7,208. 8,273. 419. Sil. 1,17. 3,425. 3,21. 6,470. 8,319. 11,27. 253 saep.

---

[1]) cf. Tac. Ann 1,43: decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos.

Haec structura non, ut Dr. contendit (pg. 345), inde a Ciceronis aetate, sed jam apud Enn. (epigr. 9) invenitur, ubi legimus: „si fas ascendere cuiquam est.“

nefas:

Luc. 1,127: Quis justius induit arma Scire nefas. cf. 6,570. Val. 1,835. 4,624. Sil. 7,555. 7,739. 749. 8,319. saep. Hujus quoque usus antiquius exemplum quam quod Draeg l. l. attulit afferam hoc: Att. frgm. 267 melius pigrasse quam de properasse est nefas.“ Ceterum Dr. exemplis addo: Verg. Aen. 6,391. Hor. Od. 1,24,20. Curt. 5,2,21.

fides:

Luc. 8,82: Ultima debet Esse fides lugere virum.

funus:

Luc. 6,102: Miseros ultra tentoria cives
Spargere funus erat.

furor (et **licentia**):

Luc. 1,8: Quis furor, o cives? quae tanta licentia ferri:
Gentibus invisis Latium praebere cruorem!

Alia hujus structurae exempla infra allaturus sum (§ 4. II.)

gloria:

Luc. 8,110: Maxima gloria nobis
Semper erit tanti pignus servasse mariti cf. 3,241.

Sil. 4,705: Facilisque viro tum gloria belli, Corde levem atque astus inopem contundere gentem. cf. 7,395.

honor:

Sil. 3,266: Solis (iis) honor ille metalli
Intactum chalybem vicino ducere saxo.
(cf. Cic. pro Oppio frgm. 5 „honori est c. J.“).

jus:

Luc. 1,275: Mihi rostra tenere
Jus erat et dubios in te transferre Quirites. cf. 10,299.

Sil. 8,40: Haud tua jus nobis praecepta morari.

De hac structura cf. Dr. pg. 349.

laus:

Luc. 4,482: Par animi l. est et quos speraveris annos
Perdere et extremae monumentum abrumpere lucis.

De hoc usu cf. Dr. p. 347 fin. Exemplis ejus addo: Nep. praef. 4. Sil. 15,151 (laudum loco est.). Claud. 20,335.

lex:

Val. 4,210: Hic mihi l. caestus adversaque tollere contra
Brachia.
cf. Tacit. Dial. 27.

ludus:

Sil. 16,572: Puer
Cui ludus nullam cursu non tollere damam,

qui locus simillimus est illi Vergiliano (Aen. 8,606): (puerorum est) „Flectere ludus equos et spicula tendere cornu." Dr. hanc structuram non commemorat. Itaque exemplis allatis addo: Hor. Sat. 2,2,123. Stat. Ach 2,440 (v. Lohr.) Similiter Cicero, sensu translato, Fin. 1,8,27: „praedicere ludus (i. e. facile) erat."

merces:

Luc. 9,150: Nunquam civilibus armis
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.

metus:

Sil. 14,185: Mitia malle (est metus),
praeeunte Ovidio (Trist 1,8,12):
Afflictumque fuit tantus adire timor.

Neutrius structurae Dr. mentionem facit.

mos:

Lucan 2,580: cf. „secta."
Val. 5,582: Mos cominus arma
Semper habere viro, semper meminisse pharetrae.
7,95: Mos jussa pati nec cedere duris.
Sil. 3,26: Discinctis m. tura dare atque e lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo. cf. 3,270. 290. 4,765. 8,373. 16,236. 11,51.

Dr. postquam p. 343 unum hujus usus e Fabii Pictoris

scriptis petitum exemplum attulit, pg. 344 pergit: „seit der klassischen Zeit kommt Folgendes vor: . . . mos est steht bei Cic. nur vereinzelt mit dem Infinitiv, dann Sall., Verg., Liv., Just.“ Ad quam opinionem refellendam laudentur necesse est haec exempla: Plaut. Capt. 985. Cato de Mor. 2 (Jordan) Sall. Jug. 80. Ov. Am. 3,12,19. Met. 15,43 F. 2,283. 6,306. Pers. 5,1. Curt. 7,7,8. 8,6,2. 9,3,4. Tac. 1,39 saep. Gell. 1,23,4. 10,15,12. Claud. 21,210 (moris est v. pag. 25)

munus:

Luc. 6,724: Extremum cui mortis m. iniquae
Eripitur: non posse mori.

Sil. 5,167: Munus Est, ait, hoc certare tuum.

Nihil de hoc usu a Dr. disputatum legi. Quapropter laudo: Cic. pro Mil. 8 „principum munus est resistere levitati multitudinis.“ Ov. Fast. 2,472. 3,224. Stat. (v. Lohr.) Theb. 8,653. Tac. Ann. 2,71.

oblivio:

Sil. 11,162: Quae tanta oblivio recti
Sucram atque in magnis positam populisque virisque
Adversam ostentare fidem.

omen:

Luc. 7,340: Tantoque duci sic arma timere
Omen erat.

Haec structura a Dr. non laudata primum occurrit apud Verg. Aen. 7,173: His sceptra accipere et primos attollere fasces Omen erat. (cf. Tac. Ann. 1,28, ubi tamen exstat Acc. c. J.).

opus:

Val. 6,327: Ignotis quid opus concurrere.

De hoc usu cf. Dr. pag. 339,10.

pietas:

Sil. 4,791: Quae porro haec pietas delubra aspergere tabo.
Luc. 4,565: Pietas ferientibus una Non repetisse fuit.
10,196: Sit pietas aliis miracula tanta silere.

Draegerus tantum locum Silianum (pag. 349) laudat, quocirca addo: Lucr. 5,1197. Ovid. Fast. 5,707.

poena:

Luc. 9,299: Poenaque de victis sola est vicisse Catoni.

De hoc usu cf. Dr. l. l. Adjungendi sunt hi loci: Prop. 4,5,20 (poena est). 12,38. Juv. 13,196. Sentent. Turic. 125 (Ribb.)

praeda:

Sil. 14,674: Parcere victis Pro praeda fuit.

pretium:

Val.[1]) 3,626: Seu plures tolerare moras rursusque propinquis
Quaesivisse jugis pretium haud leve temporis acti.

Sil. 16,45: Quam (mentem) pretium-operis sit tradere famae.

De hac structura Draeg. pag. 346 disserit: „operae pretium est c. Inf. ist schon aus Ennius (sc. Annal. 455

---

[1]) Sic hic locus legitur in V, ex quo foede corrupto codice, ut satis inter vv. dd. nostrae aetatis constat, reliqui codices effluxerunt omnes. Haeserunt interpretes in duobus infinitivis „tolerare“ et „quaesivisse“ quum unde pendeant difficile sit intellectu. Itaque Heinsius codicis auctoritate nimis neglecta proposuit „seu plus stat“ vel „seu prius est“ vel denique „seu placitum est.“ Burmanni autem conjectura „pluris (sc. est)“ a Schmitzio (l. l. pag. 38) sic defenditur: „Burmanni conjectura ob facilitatem probanda videtur, ita ut est omissum sit, quae ellipsis Valerio in formulis fas est, aequum est cet. usitatissima est. Jam vero ea quae sequuntur mihi multo aptiorem et magis poeticam sententiam referre videntur, si haec verba ita componis: seu vos via flatibus urget, pergite et mecum priores labores revocate, seu pluris est tolerare moras rursusque jugis quaesivisse, manete! et deinde Jason pergit: pretium temporis acti haud leve est.“ Sed ne sic quidem Burmanni conjectura mihi arridet intuenti Bentleji argumentationem qui in epistola ad illum data haec de hoc loco scripsit: „Agnosco equidem pluris est“ i. e „praestat, melius est“ et nihil usitatius; sed hoc modo ab ambiguitate male laborant versus, „quum „pluris“ apud veteres etiam fuerit acc. plur., si „pluris est, plus stat“ aut aliud quid ejus generis substituatur, tum illud quod sequitur „pretium haud leve temporis acti“ supervacaneum et tautologon; quid

nachgewiesen, nicht aus Komikern." Quapropter laudo: Ter. Andr. 217: audireque est eorum operae pretium audaciam. Ceterum exemplis Draegeri addo: Phaedr. 2,5. Plin. Pan. 80 (pr.) 86 (op. p.) Tac. Hist. 2,47. Gell. 2,29,20.

pudor:

Luc. 1,145: Solus pudor non vincere bello.

Val. 1,172: Quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores.

Sil. 15,650: Sternite ductorem cum quo concurrere fratri. Sit pudor.

Dr. de hac struct. pg. 347 exponit: „dagegen findet sich pudor est c. J. öfter (sc. „seit der klass. Zeit" secundum pg. 344 in.)." Quapropter laudo duos locos Draegerianis antiquiores:

Enn. trag. fr. 344 (Vahl.): „pudor est eloqui" et Tib. 3,2,7. Praeterea adjungendi sunt hi loci: Ov. A. A. 1,705. Fast. 1,205. 5,532. R. A. 359. Trist. 1,1,50. Petron. fr. 48.

res (cf. in rem est p. 13.):

Luc. 3,381: Tunc res immenso placuit statura labore, Aggere diversos vasto committere colles.

saevitia: Luc. 5,687: Saevitia est voluisse mori.

salus: Luc. 5,574: Desperare viam et vetitos convertere cursus Una salus.

Sil. 7,395: Aegris Nil movisse salus rebus.

Draegerus tantum de locutione „una salus est" pag. 347 fin. disputat, sed solum vocabulum „salus" ita usurpatum jam legimus apud Terent. (Eun. 5,4,18) „nosse omnia haec

---

enim hoc est nisi ipsum pluris? Ego nulla literula mutata sanam lectionem tibi praestabo, modo ne distinctione impediatur: „seu plures tolerare moras r. prop. Quaesivisse jugis pretium h. l. t. acti est"; ubi ordo est „seu pretium haud leve — plures moras tolerare", Certe „plures moras" per se non debet offendere quum Vergilius aliique „tot moras" dixerint. Quam v. d. sententiam comprobare ego quidem minime dubito quum et sensui optime satisfaciat neque a tradita lectione valde recedat. Itaque Loehbachii quoque conjecturam (progr. Mogunt. 1876) „seu plures stat ferre moras" improbo, quippe qua sensus minus apte fluat illud „plures moras" remaneat, codicis denique auctoritas infringatur.

salus est adolescentulis." Quin etiam Plaut. simillima structura utitur (Capt. 555), „quibus insputare saluti fuit." Structurae autem „una salus est c. J" haud scio an antiquius exemplum quam quod Dr. attulit sit Catull. 76,15.

secta (mores, epulae, penates, vertis):

Luc. 2,380: Hi mores haec dura immota Catonis
Secta fuit: servare modum finemque tenere
Naturamque sequi patriaeque impendere vitam,
Nec sibi sed toto genitum se credere mundo
Huic epulae vicisse famem, magnique penates
Submovisse hiemem tecto; pretiosaque vestis
Hirtam membra super Romano more Quiritis
Induxisse togam.

sors:

Luc. 9,21: Scire mori s. prima viris sed proxima cogi.

Val. 1,478: Sors tibi nequa
Parte trahat tacitum puppis mare fissaque fluctu
Vel pice vel molli conducere vulnera fluctu.
cf. Gell. 7,3,31.

spes (cf. infra § 4. II.):

Luc. 1,496: Velut unica rebus
Spes foret afflictis patrios excedere muros.

2,113: Spes una salutis
Oscula pollutae fixisse trementia dextrae.

stimulus:

Sil. 5,225: Crudusque ruente
Fortuna stimulus spem proiecisse salutis.

summa: [1])

Luc. 6,304: Scelerum, Caesar, prodest tibi s. tuorum
Cum genero pugnasse pio.

titulus (= gloria):

Sil. 16,669: Ne finem longis tandem peperisse ruinis
Sit noster titulus. cf. Claud. 25,29.

---

[1]) cf. Pers. 4,17: Quae tibi s. boni est? uncta vixisse patella.

triumphus:

Sil 7,398: Fabio sit vos servasse triumphus.

voluptas:

Val. 4,156: Quaenam talem vidisse voluptas?
4,480: Cui non jusso tot adire voluptas
Monstra maris? Cui Cyaneos intrare fragores?

Falso Draeg. p. 348 de hoc usu docet: Folgendes ist dem Tacitus eigentümlich: „voluptas spectare." — Mihi enim praeter allata exempla haec suppeditant: Ov. Pont. 2,7,3: „proxima subsequitur quid agas audire vol." [Publ. Syr.] Sent. 325. Quint. 4,5,23 Pl. Pan. 81.

b) substant. genet.

artis est:

Luc. 8,673: Nondum artis erat caput ense rotare
cf. Quint. 4,2,66. 9,1,20. 5,3,16.

juris est:

Luc. 7,80: Sit juris concurrere campo.

Draegerus de neutra structura disputat. Quum vero idem pg. 344 confessus sit „bei moris est habe ich diese Construction (Inf. sc.) nirgends gefunden," haud ab re mihi videtur, nonnullos locos, ubi hic usus occurrit, enumerare: Vell. 2,40. Curt. 10,1,26. Quint. 1,10,20. 11,3,24. 12,9,5 saep. Plin. Epp. 3,21,3. 7,27,14 8,19,2. Pan. 13. 56. 82. Tac. Agr. 42. Germ. 13. 21. Ann. 4,36. morum: Ann. 1,80. Hist. 5,5. (v. adnot.)

Jam de iis infinitivis disputandum est, quorum praedicatum est genetivus substantivi quod vocant concreti. Apud nostros quidem haec exempla inveni:

Luc. 7,353: Deorum est Pompejum servare ducem.

Adnot. Apud classicos scriptores hic usus raro occurrit. Caes. et Cic. ita usurpant „consuetudinis est," Livius „operae est" (cf. Draeg. pag. 346). Quibus cum structuris cfs. „lucri est c. J.": Ter. Ph. 61. Ad. 216. — Plin. Epp. 4,14 „conditionis est." 9,2,5 „amoris est," 37,1 „naturae," Pan. 25 „animi" 58 magnanimitatis." Tac. Agr. 10: „temporis"=Hist. 1,16=Gell. 13,1,4.

Sil. 10,619: Adversis ferri non esse virorum.

Quum de hoc quoque usu neque a Draegero neque ab alio v. d. accuratius quid disputatum invenerim, addo hosce locos ubi similes constructiones inveniuntur Pl. Most. 181 „matronae est unum inservire amantem". cf. Stich. 765 Poenul. 3,1,20. Ter. Ad. 736. Cic. Philipp. 12,2,5. pro Cluent. 58, Rep. 1,1,8. Offic. 1,34,122. Tusc. 2,18,43. de Or. 2,81,333 saep. Pers. 5,93. Quint. 9,2,87. 98. 12,2,10. Plin. 1,14,10. Tac. permult. l. „ejus fuit" Ann. 4,52. H. 2,47

c) substant. dativ.

cordi est:

Sil. 5,97: Si certare dolis et bellum ducere cordi est. cf. 14,734. 13,503.

Draegerus, p. 401 laudatis locis hujus usus ubi Acc. c. J. occurrit, adnotat: „ausserdem mit blosem Infinitiv." Itaque exemplis supra laudatis adjungo: Pl. Mostell 1,4,10: „si tibi facere cordist," Catull. 44,3, Verg. Aen. 9,775. Liv. 23,20.

IV. Praedicatum infinitivi est adjectivi

a) nominativus.

Hujus usus quum omnibus temporibus frequenter apud scriptores occurrat, exempla ex aliis poetis atque nostris afferre non necesse puto.

Itaque laudo primum exempla quae praebet Lucanus:

certum: 8,141: Quaerere certum est
Fas quibus in turris, ubi sit scelus.

crudele: 5,691: Committere quemquam
Tam saevo crudele mari.

decorum: 2,16: Vix secula longa decorum
Sic meruisse viris.

felix: 4,520: Dicebant felix esse mori.

ignavum: 1,462: Ignarum rediturae parcere vitae.

meum: 7,739: Quam (mercedem) monstrasse m. est.

miserum: 1,366: Usque adeo miserum est civili vincere bello.

pejus: 7,706: Vincere pejus erat.

promptum: 9,838: Cujus morsus superaverit anguis
Jam pr. Psyllis vel gustu nosse veneni.

pronum;
6,606: Pr. erat, o juvenis, quos velles, inquit, in actus
Invitos praebere deos. cf. 626.

pulcrum: 9,392: Pati vel quae tristissima pulcrum.

turpe: 9,108: T. mori post te solo non posse dolore.

tutum;
8,241: In dulcis tutum est inopem simulare tyranno.
cf. 9,261.

Jam conferamus Valerium:

aequum: 4,622: Sed te non animis nec solis viribus aeq.
Credere.

patrium: 2,156: Adde cruentis
Quod patrium est saevire Dahis.

serum: 4,449: Confectis [1]) serum est ex ordine fatis
Ingemere.

turpe: 1,361: Turpe viro timuisse futura. cf. 7,386.

Restat ut videamus qualis sit usus Silii:

dignum, indignum: 4,672: Animam exscindere dextra
Indignum est visum.
6,146: Dignum est cognoscere causam.

dulce: 13,729: Si tibi dulce virum—vidisse.

egregium: 6,375: Nec tam fugisse cavendo
Adversa e., quam perdomuisse ferendo.

grave: 2,597: Haud gravior duris divûm inclementia rebus
Quam leti perferre moras

longum: 12,381: Longum coire videtur.

leve: 13,388: Proh! quanto levius mortalibus aegra subire
Atque famem quam posse mori.

magnum, majus: Sil.7,240: M. est ex hoste reverti.
4,72 (Discat) majus sit scandere colles
An vestros rupisse globos.

---

[1]) Ex conjectura Baehrensii satis probabili pro codicis V scriptura „consuetis“.

melius: 7,248: Parcere dictis Sit melius.

meum: 4,509: Pugnantem cecidisse m. est.

par: 16,539: Concurrere animis quantis confligere p. est.

postremum: 14,169: Multo optimus ille Militiae cui postr. est primumque tueri Inter bella fidem.

primum: 16,618: Restinguere primum est
Italiam. cf. 14,169,

pronum: 13,383: Nec pronum audenti virtute excellere cuiquam.

segne: 3,350: Addere sulco
Semina et impresso tellurem verdere aratro
Segne viris.

turpe: 3,172: T. duci totam somno consumere noctem.

tutum: 14,333: (Foramina) per quae confundere tela
Tutum erat.

Accedunt nonnulla participia, adjectivorum instar usurpata:

notum, ignotum:

Sil. 7,340: (Cui) notum somno noctes aequare.

Sil. 4,793: Cui fugere ignotum.

solitum: 9,372: Non illis s. crispare hastilia campo.

suetum, inadsuetum:

12,20: Quîs gelidas s. noctes thorace gravatis
Sub Jove non aequo trahere et teutoria saepe
Spernere.

3,236: Vestigia, unda sinusque
Cingere inadsuetum.

b) genetivus.

Hunc usum et apud priscos scriptores et in classico sermone, quamquam perraro occurrentem, duo adjj. apud nostros praebent:

lenti:

Luc. 2,110: Et visum est lenti quaesisse nocentem.

tanti:

Luc. 2,61: Vix tanti fuerat civilia bella movere.
3,52: Nec vincere tanti Ut bellum differret erat.
cf. 6,768. 8,390.

Val. 8,[191]:[1]) Sint age tanti
Aesonide quaecunque morae quam saeva subire
Saxa iterum quam Cyaneos perrumpere montes
Sat mihi non totis Argo redit ecce corymbis.

Draeg. de hoc usu nihil disputat. Quapropter laudo: Coel. ap. Cic. Fam. 8,14,1. Ov. Met. 2,799. Quint. 1,6,38. Flor. 4,12,21. Tac. Dial. 37. Claud. 26,99. cf. Ter. Eun. 791 „quantist sapere."

V. Praedicatum infinitivi est adverbium.

frustra:

Sil. 5,416: Flaminium implorasse tamen jam morte suprema
Haud frustra fuit.

Haec structura a Dr. non commemoratur, quocirca laudo: Publ. Syr. 580:

Remedium fustra est inter fulmen quaerere. — Similiter

---

[1]) Sic legitur locus, nimirum corruptus in codice V. Varium in modum interpretes in illo emendando laboraverunt, postremo quantum equidem scio, Loehbachius (l. l.) qui hanc profert sententiam: eine leichte (??) Aenderung in vers. 191. 192 und 194 wuerde alle Schwierigkeiten beseitigen. Man schreibe: „nam tolerare 192. Aesonide quascunque moras — — 194 Stat mihi. Non totis cet." „Ich bin entschlossen," sagt Erginus, „lieber einen weiten Umweg zu machen, als abermals durch die Cyanischen Felsen zu fahren, da die Schiffsknäufe noch jetzt die Spuren der bei der ersten Durchfahrt erlittenen Beschädigungen aufzuweisen haben." Facilitatem hujus conjecturae, v. 191 quidem, intellegere non possum, qua de causa Loehbachii sententia mihi improbanda videtur. Magis placet Bulaei explicatio (in adnot. ad h.l.), locutio elliptica, deest enim potius aut similis particula, hoc sensu: „feramus potius omnes moras quam subeamus iterum Cyaneas." Quem sensum nostro loco inesse ego quoque puto, sed, etiamsi concedendum est, illam audacem verbi „potius" ellipsin saepius

nequicquam:

a Silio usurpatur: 10,89: Paullum depellere dictis Nequicquam fuit.

parum:

Luc. 4,500: Namque tuis pro te gladiis incumbere Caesar Esse parum scimus (Hoc tamen loco Infs, quippe qui fungatur vice subjecti Acc. c. J., apti e verbo „scimus,“ Accussativi partes sustinet). cf. 8,388.

Hujus structurae Dr. mentionem non facit. Mihi quidem haec exempla suppeditant: Ov. Fast. 2,415 „non nocuisse parum est.“ cf. Sall. Jug. 31,9. 22. 24,4. Vellej. 2,76 fin. Liv. 42,3. Plin. H. N. 31,1,1.

---

apud nostrum (cf. 7,425) occurrere, tamen nego illum sensum perspicue evadere. Eadem causa commotus ne Heinsii quidem sententiae ex qua legendum est „mage“ pro „age“ et „stat“ pro „sat“ accedere possum. Sed non opus est longe medicinam qua sanetur locus repetere. Nam qui mecum, interrogationis signo post voculam „montes“ posito, legerit: „Sunt age tanti, Aesonide quaecunque morae quam saeva subire Saxa iterum quam Cyaneos perrumpere montes? Sat mihi, non totis Argo rediisse corymbis,“ nec nimis infregerit traditam lectionem nec haerebit in sensu. Sic enim locum interpretor: „num, dic, age Jason, tanta pericula nobis imminent, si hic manebimus, quanta exspectant nos, si iterum per Cyaneas rupes navigaturi sumus? Minime. Itaque ego quidem satis habeo Argoam ratem ex pristinis periculis revertisse levibus tantum damnis perstrictam adeo ut denuo tanta pericula subire nolim“, neque vero offendere debere illud „tanti est quam“ satis apparere confido ex Cic. pro Mil. 22,58: „etsi id quidem non tanti est quam quod propter eosdem non sanguine et vulneribus crudelissimi ini mici mentem oculosque satiavit“.

§ 2.

De Acc. c. J. qui subjecti vice fungitur.

Praedicati partes sustinent

I. verba a) impersonalia.
         b) personalia.

II. substantiva.

III. adjectiva.

IV. adverbia.

Satis constat in constructione Acc. c. J. saepe vel Accusat. subjecti vel formas copulae „esse" vel denique Acc. subj. et copulam omitti Quod dicendi genus apud omnes omnium aetatum scriptores ita frequenter occurrit, ut errare videantur qui putent tales constructiones pro Nom. c. J. ex Graecorum imitatione accipiendas esse. Accuratius de hac quaestione disputaverunt: Draeg. l. l. p. 414. Kuehnerus, gr. lat. II pag. 516,1; 524,7. Luebkerus (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft, 1849. p. 120) Schmitzius, l. l. pag. 27. Brixius, adnot. ad Plaut Capt. 253. Atque ut facilius intellegatur, quam late hic usus apud nostros pateat, iis versibus ubi supplendum esse puto Acc. subjecti, crucis (†) notam apposui; asteriscus (*) numero versus impositus ellipsin formae copulae „esse" indicat.

Ia.

juvat:

Luc. 2,443: Non tam portas intrare patentes
Quam fregisse juvat nec tam patiente colono
Arva premi quam si ferro populetur et igni.

De hac structura cf. Draeg. p. 397 f. Exemplis ejus addo: Tib. 1,5,30.

liquet:

Luc 6,433: Miseroque liquebat Parum scire deos.

Dr. de hac constructione nihil disputat, quapropter laudo: (Ter. Eun. 331 c. J.) Cic. N. D. 1,42. Ov. Trist. 1,1,62. Pl. Paneg. 6. Flor. 1,13,14.

placet:

Luc. 1,20: Bella geri placuit. cf. 1,584 2,600,9,300.†2,249. Val. 6,15. Sil. 9,529. 11,550. 15,462.

Draegeri de hoc usu pg. 397 prolatam sententiam „erst seit der klassischen Zeit" refellunt hi loci: Ter. Hec. 864 „placet non hoc fieri itidem ut in comoediis" et Calpurn. Pis. Annal. 3 fr. 27: „neque sibi placere qui scriptum faceret eum aedilem fieri?"

pro nihilo est:

Sil. 2,494: Pro nihilo est mihi frodera rumpi.

Haec structura a Dr. non laudatur.

profuit:

Luc. 2,257 †: Quid tot (te) durasse per annos
Profuit immunem corrupti moribus aevi.
cf. Plin. Pan. 44 „prodest bonos esse".

Draeg. p. 398 adnotat.: „mit dem Acc. c. J. habe ich prodesse nicht gefunden".

sedet:

Sil. 4,797: Si velle nefas Superos fixumque sedetque.

Hanc quoque structuram praetermisit Draeg.; neque ego habeo aliud quod addam exemplum.

Ib.

comperio:

Luc. 2,321: Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi
Non bene compertum est.

De hac structura cf. Dr. pag. 430.

deprehendo;

Luc. 8,531: Deprehensum est hunc esse locum.

Alia verba quae hunc usum praebent, infra commemorabo, ubi de activa eorum forma Acc. c. J, recipiente disputaturus sum.

II.

dolus:

Val. 1,64: Mox taciti patuere doli: nec vellera curae
Esse viro (Peliae), sed sese (Jasonem) odiis immania cogi
In freta.

Hujus structurae Dr. mentionem non facit.

fabula:

Luc. 2,410: Hunc (Eridanum sc.) fabula primum
Populea fluvium ripas umbrasse corona — —
Hunc habuisse pares Phoebeis ignibus undas.

Eadem structura invenitur apud Gell. 19,12,6: „Id accidat quod cuipiam Thraco venisse usu fabula est“ (et apud Petron., testante Georg. s. v.).

fama:

Luc. 6,378: Hunc (Peneum) fama est Stygiis manare paludibus amnem
Et capitis memorem fluvii contagia vilis
Nolle pati superumque sibi servare timorem. 9,130.

Val. 6,137: Fama ducem Jovis et Cadmide sanguine Bacchum 139 Hac Arabas fudisse manu.

Sil. 9,139: Namque hunc (Varronem) fama est impellere signa. 12,126. 367. 13,86. 14,21. 201.

fas:

Luc. 1,631: Vix fas, Superi, quaecunque monetis,
Prodere me populo.
7,456. 8,460. Val. 1,118. 3,413. 7,280. 418. 8,442.

Sil. 10,572. 11,546.

De hoc usu cf. Draeg. pg. 402.

nefas:

Luc. 4,791*: Romanum, Superi, Libyca tellure ruinam
Pompejo prodesse nefas.

Sil. 3,341*: His — corpus cremari Tale nefas (fuit).
5,161. 12,671.

Dr. pg. 402 de hoc usu sic disserit: „dem entsprechend (sc. fas est) auch nefas est (sc. c. Acc. c. J.) bei Cic. p. Flacco 4,11. Mil. 3,8. Sed jam ante Ciceronem hanc constructionem inveniri apparet ex Att. Diomed. fr. 279 „ne attenderis petere a me id quod concedi tibi nefas.“ Ceterum Dr. exemplis adjungo: Cic. de Sen. 5. Vell. 2,45.

gloria:

Luc. 3,241: Proh, quanta est gloria gentis:
Injecisse manum fatis vitaque repletos
Quod superest donasse deis.

Dr. pg. 402 contendit: „bei gloria ist der Acc. c. J. nicht nachgewiesen.“ Simili structura utitur Tac. (Ann. 14,54): „In tuam gloriam cedet, eos (te) ad summa vexisse.“

luctus:

Luc. 9,169: Nulli cognitus aevo
Luctus erat mortem populos deflere potentis.

De hoc usu Dr. nihil disputat.

rumor:

Luc. 19,255*: Rumor ab Oceano qui terras alligat omnes
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Aequoreosque sales longo mitescere tractu.

Hujus structurae exemplis a Dr. pag. 404 allatis addo: Ter. Hec. prol. 2,31. Heaut. prol. 66. Caes. B. G. 2,1,1. Nep. 10,10. Mart. 4,16. Tac. Hist. 4,54. Suet. Aug. 14.

sensus:

Sil. 2,521*: It tacitus fessis per ovantia pectora sensus

Vel leto graviora pati saevasque ferarum
Adtentare dapes et mensis addere crimen.

venia:

Luc. 3,149: Venia est haec sola nil jam potuisse negari.

Neutra structura a Dr. laudatur.

III.

De hoc usu a classico sermone non recedente cf. Dr. p. 398. Exempla Lucani sunt haec:

extremum:

2,519: Poenarum extremum est civi quod castra secutus
Sit patriae Magnumque ducem totumque senatum,
Ignosci.

indignum:

7,73: Pompejum vincere lente
Indignum est. 9,406. 10,102.

mirum:

7,185: Quid mirum populos quos lux extrema manebat
Lymphato trepidasse metu.

Apud Valerium exemplum non inveni. Silius duo praebet:

par:

14,127: Instabat ductor, cui tarde vincere Grajas
Par erat ac vinci turmas.

perspicuum:

15,147*: Irat qua ducere divos Perspicuum.

turpe:

5,409*: Turpe duci visum est rapiendi tempora belli
In segnes exisse moras portuque (se) teneri.

IV.

palam:

Luc. 7,131: Advenisse diem qui fatum rebus in aevum
Conderet humanis, et quaeri Roma quid esset,
Illo Marte palam est. Claud. 15,431.

Dr. p. 399 contendit „palam est nur Plaut. und Plin.“ [1])

parum:

Sil. 3,568†: Parumne est
Exilia errantes totum quaesisse per orbem?

Hic usus a Dr. non commemoratur. Itaque addo Curt. 6,10,4 „parum est parentem orbari filio.“

---

[1]) cf. palam fit [Cic.] p. redit. 7,18.

§ 3.
De infinitivo accussativi objecti instar posito.

Infinitivus pendet
I. ex verbis.
II. ex adjectivis et participiis.

I. A. Infinitivi excipiunt verba voluntatis:
a) affirmativa.

1) vv. voluntatis c. notione desiderandi et optandi.

amo:

Sil. 2,70: Non calathis mollita manus operatave fuso
Dictynam et saltus et anhelum impellere planta
Cornipedem ac stravisse feras immitis amabat. 12,451.

De hac structura Draeg. p. 297 sic disserit: „Den Anfang macht Sall. Jug. 34,1 (cf. Hist. Inc. 111), aber mit einem Acc. c. J.; dann folgt Horaz, Plin., Capitol. Ver. 2. In der Bedeutung ‚pflegen' wird es von den Lexicis nur aus Ausonius citirt." Haud tamen scio an inde a Sallustii demum aetate haec structura inveniatur, praesertim quum, satis probabili Bücheleri conjectura accepta, legamus apud Att. (fr. 347): „Discidia amantem scindere turbat vulgum." Ceterum haec exempla iis, quae attulit Draegerus, addenda sunt: Hor. Sat. 2,3,20. 214. Ov. Her. 4,76. Petron. frg. 33. Pallad. Febr. 24,10 Mart. 10,19. [Dict. Cret.] 1,3. Apul. Flor. 3,16;64. Claud. 17,163.

opto. exopto:

Luc. 7,486: Vulnera pars optat pars terrae figere tela
Ac puras servasse manus. 10,154. 543. Val. 3,687. 7,109.

Sil. 2,705. 9,550. 13,625.

Sil. 7,643:

Hic avidum pugnae et tam clarum exscindere nomen
Brutum exoptantem — fundit. 10,301.

De utraque structura Draeg. p. 298 disputat. Exemplis ejus addo: Ter. Hec. 532. Pers. 2,44 (exopto).

peto:

Luc. 10,[97]: Nil ipsa paterni Juris [habere][1]) peto.

Sil. 3,13: Bellique vices novisse petebat. 17,437.

Falsam de hoc usu Dr. p. 298 sententiam profert: „petere seit Vergil"; legimus enim apud Lucretium (3,86) „vitare Acherusia templa petentes". Praeterea haec a Dr. non commemorata exempla[2]) laudo: Verg. Aen. 7,95. Ov. Met. 8,24. 14,571. Stat. (v. L.) Cl. 7,106. 8,303. 17,3. 33,63. 36,300. 40,51.

2) vv. volendi cum notione vehementer nitendi.

agito:

Val. 2,164: Cunctas agitent expellere Lemno.

Sil. 13,399: Noscere venturos agitat mens protinus annos.

De hoc usu cf. Draeg. pag. 304^c.

ardeo[3]):

Val. 5,85: Ardent avidos attollere vultus.

6,45: Nescius heu quanti thalamos ascendere monstri Arserit.

Sil. 4,361: Marte probare genus factisque Lacona parentem Ardebant. 7,33.

---

[1]) Haec est scriptura vulgata, mss. discrepant inter „juris inire peto" et „juris nunc repeto". Cortius conjecit „juris, nil repeto". Ego quidem justam causam cur a vulgata scriptura recedendum sit non invenio.

[2]) cf. Turpil. fr. 159 et Gell. 13,22,19: appeto

[3]) Infm. ex ardendi verbo aptum pro accusativo objecti accipiendum esse, satis comprobatur Vergiliano illo „ardebat Alexin" et Hor. Od. 4,9,13: „comptos arsit adulteri crines".

Draegeri p. 299 allatis exemplis adjungo:[1]) Verg. Aen. 8,163. 581. 9,421. Ovid. Her. 16,79. Met. 5,166. Claud. 3,307. 5,201. 22,21. 26,591.

aveo:

Luc. 4,264: Tunc inopes undae praerupta cingere fossa
Caesar avet. 7,84.

Val. 1,[198]: Nec nunc mihi jungere montes
Mens [avet][2]) aut summo fulmen deposcere Olympo.

Sil. 1,61: Avet Aegates abolere, parentum
Dedecus, ac Siculo demergere foedera ponto.
5,553. 7,22. 14,183.

Duo exempla, Draegerianis (pag. 297) antiquiora, sunt haec: Varr. Sat. Men. (pag. 113, l. 10. Riese) „quibus instabilis animus ardens mutabiliter avet habere et non habere" et Cic. Arat. 425 „Oenopionis avens epulas ornare." Ceterum Draegeri exemplis addo: Cat. 46,7. Hor. Od. 4,11,7. Ov. Met. 2,563. Tac. Ann. 11,10. Apul. de Mag. 73,549. 94,588.

curo:

Luc. 6,602: Dignum quod quaerere cures.

Val. 6,92: Proelia nec curant rauco incendere cornu

Sil. 3,22: Limine curant Saetigeros arcere sues. 13,42.

Praeter exempla a Dr. (p. 320) laudata mihi haec suppeditant: Lucr. 4,243. Tib. 1,1,57. Hor. Epp. 1,17,5. 18,59. Ov. Am. 2,19,8. Grat. Cyn. 428. Pers. 2,18. 3,78. Stat. (v. Lohr.). Corn. Front. (Meyer p. 615.). Claud. 5,157.

gestio:

Sil. 15,347: Gestit lustrare propinquas Mens silvas.

De hoc usu Dr. pg. 299 disserit: „gestio c. J. ist in allen Zeitaltern sparsam verwendet". Ego quidem hanc structuram inveni hisce locis. Pl. Pseud. 116. ib. 1073. Trin. 325. Asin. 788. Lucr. 4,1047. 6,1045. Cic. de Fin. 5,18. Catull. 64,145 (praegestio). Tib. 2,1,7.71. Hor. Od. 4,12,15.

---

[1]) cf. aestuo: Claud. 7,82. flagro: ibid. 74.

[2]) ex. Baehr. cjt. pro scriptura cod. V „tamen".

Epp. 1,1,77. 2,3,69. Pers. 1,127. Plin. Pan. 15. 35 al. locis quos omnes enumerare longum est.

laboro:

Luc. 7,665: Quid perdere cuncta laboras.

Sil. 3,80: Hoc pignus belli, conjux, servare labora. 6,117. 12,203. 13,617. 15,640. 17,358.

Hic usus non ut Dr. contendit (p. 300 in.) inde a Ciceronis aetate demum invenitur, sed jam apud Lucilium (fr.287) occurrit: „labora discere". Praeterea laudo: Cat.67,17. Hor. A.P.25.168.192.435. Ov. Her. 15,77. 18,95. Am. 2,2,11. Pers. 2,17. 5,39. Plin. Epp. 2,5,9. al. permultis locis, quorum ne unum quidem Dr. nominavit.

molior:

Val. 3,490 (Juno Pallada) nequa inde inceptis
fieret mora fallere prima(m. Heins.)
Molitur caroque dolis avertere fratri.
6,624. Hei mihi si durae natum subducere sorti
Moliar atque ausim meis confidere regnis.

Sil. 4,426: Annos transcendere factis Molitur 5,485. 16,612.

Valde miror Draegerum de hoc usu pag. 300 exposuisse: „molior c. J. ist nur zwei mal nachgewiesen: Cic. Tim. 4 und Val. Fl. 3,490", quum aliis quoque locis eadem constructio occurrat, velut: Lucr. 2,1024. „species se ostendere molitur". Cic. Brut. 11,37 „molimur dicere. Liv. 29,27 „facere molitus est". Ov. A. A. 1,266. Met. 2,582. 8,773 12,249. 15,804.

3) vv. volendi cum notione secum reputandi.

consulto:

Sil. 6,346: At nova Elissaei jurato foedere patres
Consultant mandare duci pacisque sequestrem Mittere.

Hic usus a Dr. praetermittitur.

dignor:

Luc. 5,86: Quod numen ab aethere pressum
Dignatur caecas habitare cavernas.

De hoc usu recte quidem Dr. disputasse videtur (p. 320): „dignari seit Lucrez bei Dichtern", sed quum poetae prisci activam hujus verbi formam amaverint, ex hac saepius Inf. pendet, ut Att. fr. 447. 474. Pacuv. 166. 233, qui loci memoratu digni sane fuerunt. Ceterum Dr. exemplis addo: Grat. Cyn. 108. Paneg. in Pis. 218. Colum. 5,1,3. Plin. ad Traj. 13.43.47. Tac. Ann. 4,53. Hist. 4,81. Dial. 9. Apul. Met. 6,9,397. 11,11,777. de Mag. 43,499. Claud. 7,174. 10,76. 28,63. 41,23. 98,9. al. l.

destino:

Val. 7,317: Suas misero promittere destinat artes.

Quum Draegerus p. 303 in disputatione de hoc usu exemplis e Caesare, Livio, (Suetonio,) prolatis pergat „dann auch bei Dichtern und im silbernen Latein", laudo Nep. Eumen. 2,4. Praeterea mihi hi loci ubi eadem structura occurrit praesto sunt: Ov. Met. 8,157. 10,379. Fast. 1,622. Vellej. 2,110. Phaedr. 5 prol. 1. Curt. 4,2,14. 8,6,7. 9,23. Quint. 5 pr. 6. Plin. Epp. 1,12,9. 3,5,20. 5,8,6. 19,7.

meditor:

Sil. 3,163: Tum pater omnipotens gentem exercere periclis
Dardaniam et fama saevorum tollere ad astra
Bellorum meditans priscosque referre labores,
Praecipitat consulta viri eqs. 4,178. 6,590. 12,492.

De hac constructione cf. Dr. 302. Adjungendi sunt ejus exemplis hi loci: Nep. 17,4,1. 22,4,2. Pers. 5,162. [Verg.] Ciris 92. Claud. 19,7. 28,190.

4) vv. volendi cum not. incipiendi vel conandi.

coepto:

Sil. 9,319: Fixa — Sarrana manus quam vellere sede
Si coeptet Calpen impacto gurgite pontus. 10,253. 257.

Haec structura a Dr. praetermissa est. Quapropter addo: Lucr. 6,267 „Nequa forte tamen coeptes diffidere dictis." cf. 4,112. 406. 6,255. Cic. Arat. 31. Cic. Fin. 5,9,24. Tacit. Hist. 2,29. 3,10. 81. 5,10. Suet. Oth. 11. Gell. 4,1,6. 15,2,3 (cf. 1,11,3. 17,21,33. incepto).

incipio:

Luc. 4,128: Tollere silva comas, stagnis emergere colles Incipiunt visoque die durescere valles. 5,430. 8,80. 490. Val. 7,194. 528.591. 8,225. 244. 261. Sil. 9,33.

Audiamus Draegeri de hoc usu sententiam p. 333 prolatam: „von diesen (sc. coepi, incipio, al.) wird incipio in unseren Lexicis erst seit Cicero nachgewiesen, aber Holtze (II 39) citirt Enn. Med. exulis fr. 15: quod iter incipiam ingredi." Quare fugerunt eum hi loci. Pl. Asin 2,4,22 „Nunc adeam optimum est priusquam incipit tinnire." Pl. Truc. 2,5,12: „Male quod mulier facere incipit," ibid. 14. Rud. 2,5,5. Ter. Andr. 493. 821. Heaut. 496. Pacuv. fr. 15 et 95. Afran. fr. 505. Dec. Laber. frg. 137. Quin etiam in prosa oratione ante Ciceronem hic usus occurrit apud Claud. Quadrig. Annal. 1,12 „inde in adversarii os atque oculos pugnare incipit." Praeterea laudo: Lucr. 1,55. Sall. Hist. 3,61,3. Sen. Epp. 13,17. Cic., Caes., Liv. saepissime illa constructione utuntur adeo ut exempla afferre supervacaneum sit.

excipio (idem valens quod pergo):

Sil. 13,688: Excipit inde suos frater conjungere casus.

Aliud hujus structurae, a Dr. praetermissae exemplum non inveni.

Hoc loco non ita ab re mihi videtur disputare de **occipiendi** verbo, eodem modo usurpato, quippe quod, quamquam haud raro occurrit, a Draegero non commemoretur. Primum hic usus occurrit apud Plautum (Trin. 4,3,35): „metuo ne aliam rem occipiat loqui." Sequuntur: Cato R.R. 156,2. Caecil. Stat. frg. 163. Ter. Ad. 196.327.504.634. Hec. 116 Phorm. 862. Eun. prol. 22 (agi occeptast). 125.636. Heaut. 318. Ad. 197. 327. Turpil. frg. 15. Pompon. Bonon. frg. 69 et 327. Liv. 1,7. Phaedr. 1,13. Tac. Ann. 1,39. Hist. 2,16.[1])

---

[1]) Cic. Caes. Sall. Curt. Quintil. hac constructione non utuntur.

incoho:

Luc. 10,174: Longis Caesar producere noctem
Incohat alloquiis.

Draegerus nihil disputat. Itaque addo: Pallad. Dec. 2. Claud. 5,9.

infit:

Sil. 12,67: Rursusque hortatibus infit Laudum agitare suos.

Alia hujus struct. a Dr. non commemoratae exempla sunt haec: Plaut. Aul. 2,4,28 infit postulare, ib. 2,76 percontarier. Bacch. 265. Mercat. 249. Rud. 51,53. Lucr. 3,515. Verg. Aen. 11,243.[1])

ordior: [2])

Luc. 2,241: Fari his versibus orsus. 10,85: Sic orsa (Cleopatra) fari. Val. 5,402. Sil. 11,435. 15,159.

De hoc usu cf. Draeg. p. 333. Exemplis ejus adjungo: Cic. de Legg. 1,4.14. Verg. Aen. 6,562. Vell. 2,109. Liv. 28,19. 32,34. 35,44. Curt. 5,1,2. 5,17. 7,4,3. 8,1,23. 10,6,16.

paro (apparo):

Luc. 2,495: Obstruitis campos, fluviis arcere paratis
Ignavi?
2,523. 565. 3,343. 498. 4,449. 5,129. 225. 263. 6,597. 7,352. 8,587. 612. 10,149. 339. 345. 535. parans 8,594. 9,182.[3])

Val. 5,579: Stricto stat proximus armiger cornu
Ceu pugnam paret et positas confundere mensas.
6,731. 7,542.[4]) 8,444.

Sil. 1,36: Dux agmina sufficit unus
Turbanti terras pontumque movere paranti.
2,133. 271. 345. 3,33. 574. 700. 4,91. 260. 585. 5,524. 6,30. 599 saep.

De hac constr. cf. Draeg. pg. 302ᵇ.

---

[1]) Liv. 3,71,6 (Acc. c J.).
[2]) cf. Gell. 9,2,10. 15,20,4. 19,9,7 (adordior.). Epil. 4 (exordior.).
[3]) De partic. „paratus" v. § 4. III B.
[4]) Baehr.: meat.

apparo:

Sil. 3,158: At Poenus belli curis avertere morem Apparat.

De h. struct. cf. Dr. l. l.

requiro:

Val. 6,467: Sensit diva dolos, jam pridem sponte requirens Colchida et invisi genus omne exscindere Phoebi.

Hic usus Valerio proprius videtur.

tempto:

Luc. 3,491: Aries compagem solvere muri Temptat et impositis unum subducere saxis. 4,530. 690. 6,317. 633. Val. 2,87. 658. 3,[469]. 4,399. 8,456. Sil. 5,451. 546. 6,533. 10,160. 12,84. 179. 13,748. 16,405.

Ad supplenda Draegeri (p. 301) exempla hosce ego laudo locos: Caes. ap. Cic. ad Att. 9,7. Lucr. 5,1065. Verg. Aen. 12,104. Tib. 1,3,37. Prop. 3,34,73. Ov. Am. 2,14,4. Met. 2,172. 9,168. Pers. 2,21. 4,23. Quint. 2,14,1. 3,1,3. 6,3,7. 7,1,60. 6,9. 12,10,32. Plin. Epp. 4,14,3. 18,1.

5) vv. volendi cum not. perseverandi et iterandi.

duro:[1])

Luc. 4,519: Victurosque dei celant ut vivere durent Felix esse mori.

Sil. 11,75: Romuleis durastis, ait, succedere muris. 10,653. 15,213.

Hic usus a Dr. non commemoratur, quocirca addo Petron. 41: „duravi interrogare illum interpretem meum quid me torqueret“. cf. Ov. Am. 3,11,7 perferre obdura.

---

[1]) Necesse videtur, exempla afferre quibus intellegatur, recte Infinitivos ex verbo „durare“ aptos a me pro Infinitivis objecti vices sustinentibus accipi. Itaque laudo: Verg. Aen. 8,577: patior quemvis durare laborem. Hor. Od. 1,14,7: vix durare carinae Possunt imperiosius aequor. Stat. Silv. 5,2,143: vias. Val. Fl. 7,338: hoc. 6,336: progeniem.

6) vv. voluntatis cum notione movendi.

aggredior: [1])

Val. 7,172: Primos aggressa es flectere sensus.

Nihil de hac structura a Dr. disputatum inveni. Mihi quidem hi loci suppeditant: Enn. Ann. 5,74 (Vahl.) „adgrettus fari." Cic. de Inv. 2,25,74. Ov. 38,133. Off. 2,1,1. Lucr. 5,110. 167. 6,940. 980. Caes. B. C. 3,80. Sall. Jug. 9. 21. 75. Verg. Aen. 2,165. 6,583. Liv. saepissime (cf. Kuehnastii synt. Liv.). Pompon. Mel. praef. 1. Curt. 3,1,17. 8,4,11. 9,1,4. 10,12. Quint. 1,5,54. 2,2,2. 3,6,1. 6 praef. 3. 8,3,44. Tac. Ann. 3,53. 12,31. Hist. 4,6. Dial. 17. Apul. Met. 3,5,182. Flor. 4,2,26. Claud. 26,87. 28,186.

deprecor v. precor.

festino: [2])

Luc. 3,750: Letum praecedere nati
Festinantem animam morti non credidit uni.

Sil. 2,20: Relegant pontum neu se addere clausis
Festinent. 8,247. 9,154. 14,546. 16,123.

Quum Draegerus accuratius (pag. 308) de hoc usu disputare omiserit, affero haec exempla: Cic. Phil. 3,9. ad Fam. 3,6. 7,23. 10,33. Sall. Jug. 21.64. Hist. 2,59. Hor. Ep. 1,2,11.38. Liv. 1,25. 7,9. 9,9. 24,35. 31,46. 34. 59. Col. 4,27,1. Phaedr. 3,19. Curt. 3,7,1. 4,6,30. 5,4,33. 13,11. 6,3,14. 6,25. 9,9,13. Quint. 9,4,146. Plin. ad Traj. 1,1. Tac. Ann. 2,77. Dial. 3. Claud. 15,420.

propero:

Luc. 3,393: Virum toti properans imponere mundo.
5,304. 6,84. 7,744.

Sil. 2,634: Dum properas auferre necem.
2,200. 496. 3,132. 5,498. 6,498. 10,142. 11,27.

---

[1]) Vellej. 2,119: „ingressus est Rhenum petere."

[2]) praefestino c. J.: Plaut. Rud. 119. Afran. frg. 395. Liv. 23,14 fin.

De hoc usu cf. Draeg. l. l.[1])

occupo (= praevenio):

Sil. 5,529: At juvenis dubio tantae discrimine pugnae
Occupat eventum telo temptare priorem.

Exemplis a Dr. pg. 309 et ab Holtzio pg. 39 laudatis adjungo haec: Plaut. Pseud. 4,1,15 „volo tu prior ut occupes adire.“ Titin. 145. Att. 380. 649. — Varr. Sat. Men. p. 129,6 (Ries.)

7) vv. volendi c. not. edictae voluntatis.

minor:

Luc. 5,336: Veluti si cuncta minentur
Flumina quos miscent pelago abducere fontes.

Sil. 4,660: Poenasne superbus [2])
Insuper et nomen Trebiae delere minaris.

12,145: (Tradunt) torreri late campos quotiesque minantur
Rumpere compagem impositam, pallescere coelum.

Dr. pg. 378 unum tantum hujus usus exemplum (Prop. 3,8,7) laudat „minitare exurere.“ Quapropter addo: Plaut. Men. 843. Lucr. 1,723. 4,403. 5,386. Claud. 3,298. 28,446. „minitor“: Pl. Men. 938. Ter. Hec. 427.

oro:

Val. 3,628: At studiis jamdudum erecta juventus
Orat inire vias.

De hac constructione recte quidem Dr. pag. 310 disputavit, nisi quod omisit: Ov. Met. 6,412. Stat. Theb. 9,386. Ach. 1,184. Suet. Ner. 47. Claud. 18,266. 20,373. 21,233.

posco, exposco:

V. 4,194: Contra occurrere poscunt.
7,[427] Occumbere tandem [Poscimus.][3])

[1]) **maturandi** verbum (quod ita usurpatum apud nostros non occurrit) non, ut Dr. contendit, „erscheint erst bei Cicero,“ sed jam ante ejus aetatem usurpari, docent hi loci: Plaut. Mil. 1093. Ter. Ht. 496. Ceterum Draegeri exemplis addo: Caes. B. G. 2,5. Nep. Dat. 4. Tac. Hist. 4,34. 70. 5,18.

[2]) Heins. (codd. superbas)

[3]) Baehr., cod. V possumus.

Sil. 6,347: Poscentes vinctam inter proelia pubem
Captivamque manum ductore rependere nostro. 11,166.
Sil. 8,77: Tum discere maesta
Exposcit cura letum infelicis Elissae.
15,51: Acres sociare labores Exposcunt.

De hac constructione cf. Draeg. p. 311. Exemplis ejus addo: (posco:) Hor. Ep. 2,3,339. Pers. 1,128. 3,16. Rut. Lup. (Frotsch) 2,19,181. Claud. 19,131. (exposco:) Cat. ap. Gell. 7,3,26. Tac. Ann. 14,13.[1])

precor, rogo:

Val. 7,352: Majora precatur
Carmina majores Hecaten immittere vires
Nunc sibi.
Val. 7,379: Jamque redire rogant.

Dr. l. l. contendit „precor (sc. cum Inf.) nur Ov. Her. 5,158, aber nur einmal bei rogare: Catull. 35,10." Mihi quidem praeter l. l. suppeditant hi:
(rogo:) Ov. Her. 6,144. A. A. 1,433. Carm. Priap. (Baeh.) 21,1. (Gell. 1,13,8 rogor).
(precor:) Tib. 2,5,3. Ov. Pont. 1,2,63. 7,6. Gell. 13,22,19.
Omnino non laudatur a Draegero verbum
deprecor (= posco), quod ita usurpatum hisce locis occurrit;
Luc. 9,214: Non deprecor hosti Servari. Stat. Theb. 8,116. Ap. Met. 9,39,688.

b) vv. voluntatis negativa.

1) vv. quae simplicem nolendi vim habent.

abnuo:

Val. 1,519: Profugo quin agmina jungere Phrixo
Abnuit.
3,678*: [Nostri][2]) ferri comes (esse) abnuit actis.

---

[1]) cf. deposco: Tacit. Annal. 14,13.

[2]) Haec genuina scriptura esse videtur, quae a Baehrensio sic in textum recepta est; cod. V praebet „nostris" pro „nostri".

Sil. 2,103: Venatu extendere vitam Abnuit.

Dr. in disputatione de hoc usu pg. 324 laudato loco Enniano pergit „dann nur noch Livius". Ad quam opinionem refellendam hosce locos adjungo: Plaut. Merc. 59 (Ritschel.). Iuv. et Stat. (v. Lohr.). Liv. 29,15. 44,43. Tac. Ann. 1,3. 4,56. Hist. 4,35.

cunctor[1]**:**

Val. 7,63: (Jacent) Ardentes, ac me quoque vomere presso
Me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri.

Obitor tantum Dr. pg. 326,8[a] de hoc usu sic disserit: „cunctor c. J. fehlt noch in alter Zeit, dann hat es Cic. Tim. 3. Haeufiger im silbernen Latein." Ego quidem hanc structuram hisce locis inveni: Att. Alphesil. fr. 71: Ita territa membra animo aegroto Cunctant subferre laborem. Sall. Cat. 44. Jug. 13. Liv. 21,34. 25,39. 31,7. 34,23. 44,19. Consol. ad. Liv. (Baehr.) 253. Colum. 8,15,7. Suet. Caes. 70. Vesp. 16. Claud. 15,8

dedignor:

Sil 5,87: Tantumne dedignare secundas Exspectare deos.

Praeter exempla quae Dr. p. 330 collegit, mihi suppeditant haec: Ov Her. 4,149. Am. 1,10,63. Met. 13,586. Fast. 4,36. Pont. 2,2,77. Germ. Arat. 108 (Baeh.) Pl. Pan. 49. Curt. 10,3,11. Claud. 33,149. 73,15.

erubesco:[2]

Luc. 3,111: Plura jubere (Caesar)
Erubuit quam Roma pati.

De hoc usu Dr. p. 329 disputat: „dafür citirt man erubesco erst seit Cic. de Legg., sicher erst bei Liv., ihm folgt Seneca, Curtius (7 locis)." Omisit igitur Dr. haec

---

[1]) Infin. ex v. cunctandi aptum accusativi objecti partes sustinere apparet ex hisce exemplis: Val. 1,155 talia. 757 virum. Gell. 2,29,12=16,6,9 nihil. 12,5,10 haec.

[2]) De constr. erubescere alqd. cf. Verg. Aen. 2,542: fidem. Prop, 13,14,20: fratres.

exempla: Verg. Ecl. 6,2. Stat. (v. Lohr). Quint. 1,10,13. 6,1,14. Plin. Epp. 9,27,2. Tac. Ann. 6,29 23). 14,43. Mart. 7,20. 10,54. 11,15. Petron. 36.

indignor:

Luc. 10,444: Et timet incursus indignaturque timere.

Dr. pg. 373 laudat locos ubi Acc. c. J. occurrit, de Inf. autem ex indignandi verbo apto nihil disputavit. Quapropter laudo: Lucr. 3,1045. „tu vero dubitabis et indignabere obire?“ Ov. Her. 15,267. Met. 10,604. 11,787. Trist. 4,10,103. Hor. A. P. 90. Liv. 34,5. Stat. (v. L.) Claud. 1,27.

invideo (= nolo):

Luc. 2,550: His te quoque jungere Caesar Invideo.

Sil. 15,511: Neve usque ad sidera adisse
Invideat laevus nobis deus.

De hoc usu cf. Dr. p. 324. Addendi sunt hi loci: Ov. Met. 4,156. Auson. Ep. 15.23.

renuo:

Sil. 11,61: Si partita renuant sedisse curuli.

17,24: Substitit adductis renuens accedere vinclis.

cf. Ap. Met. 3,9,189: Me renuentem praecedens facies instaurare compellunt lictores. Dr. p. 324 contendit: „niemals bei renuo (sc. Inf. occurrit).“

sperno:

Luc. 6,3: Cupere omnia Caesar Moenia Grajorum spernit.

Sil. 1,227: Impatiens aevi spernit novisse senectam. 1,655. 15,161.

De hac struct. cf. Dr. p. 330. Exemplis ejus addendus est: Stat. Silv. 1,4,36.

2) cum notione taedii.

horreo:

Sil. 6,549: Eritque dies, tua quo, dux inclyte, fata
Audire horrebunt a te calcata minores.

Falso de hoc usu Dr. p. 329 contendit „horrere erst seit Vergil und noch Ammian (sc. 1,29,3).“ Eadem enim

constructio etiam apud alios scriptores vel ante vel post Verg. florentes invenitur. Mihi quidem praesto sunt hi loci: Cat. 14,24: Manus vestras non horrebitis admovere nobis. Cic. de har. resp. 17,37: Nemo vir adspicere non horruit. Cic. Leg. Agr. 2,37,101: non horreo in locum progredi. Liv. 6,40. 10,10. Claud. 5,298.

metuo;

Luc. 3,407: Illis et volucres metuunt insistere ramis
Et lustris recubare ferae. 5,67. 6,650. 9,835. 7,3.
metuens 4,719. 5,128. 7,373. Val. 6,459. 7,178. Sil. 7,471.

De hoc usu cf. Draeg. p. 328. Exemplis illius addo: Plaut. Trin. 7,54. Lucr. 3,773. 6,565. Prop. 1,4,19. Pers. 4,29. Stat. (v. L.). Lucr. 3,773. 6,565.

paveo: [1])

Luc. 3,350: Nec pavet populus subire, quae—gessit. 6,722.
Sil. 6,568: Quod rogitant audire pavent.
7,729: Solemque pavent agnoscere visu.

Draegeri de hac construct. sententia (p. 320.) „pavere erst bei Ov. Met. 1,386; dann nur noch Tac. G. 7" et locis allatis et Ap. Met. 3,15,200 redarguitur.

refugio: [2])

Sil. 15,319: Legem regno accepisse refugit.

Dr. p. 323 unum tantum hujus usus exemplum (Lact. 6,9,2) laudat. Itaque addo: Cic. Phil. 14,3,9 (refugit animus). Verg. Ecl. 1,177. Aen. 2,12. Hor. Od. 1,1,34. Ov. Am. 3,6,5.

tremo: [3])

Sil. 15,549: Audendum est quod, depulso moenibus hoste,
Victores fecisse tremunt.

---

[1]) De structura „paveo alqd" cfr. Sall. Cat. 31,3. Hor. Od. 4,5,25. 14,49. Epp. 12,25. Plin. 2,12,9.

[2]) (fugio:) Cic ad Fam. 12,19. ad Att. 5,12. 7,18. 13,21. 51. Hor. Ep. 2,2,150. Tib. 1,4,9. Ov. Her. 9,75. Pers. 6,65. 289. R. (diffugio:) Hor. Od. 1,35,28.

[3]) De constr. tremere alqd s alqm cf. Sil. 2,53. 10,433. 16,10. 93. Liv. Tib. Hor. alios.

Hujus usus neque a Dr. exemplum affertur neque mihi aliud praesto est.

3) c. notione omittendi vel neglegendi.

desino: [1])

Luc. 3,736: Et miserum cernens agnoscere desinit Argum. 5,161.

Val. 3,696: Non tamen et gemitus et inanes desinit iras Fundere.

Sil. 13,1: Tarpeja videri Culmina desierant. 11,348. 15,38. 387.

Quum Dr. accuratius de hoc usu non disputet laudo locos ubi tales constructiones primum inveniuntur; Plaut. Bacch. 1,1,67. Pseud. 1,3,73; quibus adde: Enn. frg. 361 (R.). Ter. Andr. prol. 22. Eun. prol. 16. Hec. 810.

addubito:

Sil. 14,358: Nec contra Ausonius tonsis aptare lacertos Addubitat.

moror:

Sil. 1,694: Nec divum oblitis indicere bella morentur. 3,357. 4,21. 756.

Dr. p. 326 allatis tribus exemplis e Plauti fabulis adnotat: „Letzteres (sc. moror) kommt nicht weiter vor.“ Itaque laudandi sunt hi loci: Cic. Phil. 5,12,39. Hor. Epp. 16,24. Cat. 52,1.4. Hirt. B. G. 34. Verg. Ecl. 8,106. Aen. 11,364. Ov. Her. 12,186. Am. 1,11,25. Met. 13,530. Claud. 11,141. 15,139. 19,144. 35,194. — Plaut. Mil. 247. Trin. 737. Epid. 3,2,14. Poen. 5,4,105.

vito:

Luc. 2,359: Turritaque premens frontem matrona corona Translata [vitat] [2]) contingere limina planta.

---

[1]) De structura desino alqd. cf. Cic. ad Fam. 7,1,4 artem. Verg. Ecl. 8,61 versus. 5,19. 9,66. Sil. 12,725 bella.

[2]) Hoc loco codd. discrepant inter „vitat“ et „vetuit.“ Poeta describit solemnia nuptiarum Corneliae et Catonis, ab aliis nuptiis simplicitate et severitate longe diversa; non ibi erant infulae, non legitimae

Antiquius hujus usus exemplum, quam quod Dr. p. 325 attulit, praebet Lucr. 4,322: „oculi vitant tueri.“

4) cum notione voluntatis negative edictae.

damno:

Sil. 5,62: Damnavit vesci planctuque alimenta refugit.

Hic usus, a Dr. praetermissus, primum occurrit apud Horat. (Sat. 2,3,86) et praeterea ap. Pompon. (Digest. 30,12) alio tamen sensu: „si quis servos testamento heredem mihi dare damnaverit.“

nego:

Val. 7,306: Tectis negat procedere virgo.

Sil. 1,107: Si fata negarint
Dedecus id patriae nostra depellere dextra.

1,519: Nota arma viri corpusque superbo
Victori spoliare negant. 4,365. 7,40. 16,547.

Dr. de hoc usu p. 323 disserit: „nego steht nie mit blosem Inf.“ Quamquam sane concedendum illi est, plerisque locis ubi Inf. solus occurrere videtur, facile acc^{m}. pronom. objecti suppleri posse, adeo ut re vera constructio Acc. c. J. inveniatur, attamen unus locus exstat, quo quin nudus Inf. occurrat nullo modo dubitari potest: Tib. 1,4,41 „neu comes ire neges.“ Itaque ego quidem puto, non plane necesse esse ut talis pronominis ellipsis statuatur. Solum igitur Inf^{m}. his quoque locis intellegendum censeo: Plaut. Rud. 12,91. Ter. Andr. 379. Ov. Am. 2,15,19.

---

faces, non denique „turritaque premens cet.“ Scriptura „vitat“ probata sensus est: nova nupta non vitat sublato pede limen contingere,“ sed quid sibi tum velint illa „turritaque premens frontem corona“ non satis intellegitur quum planissime v. 353 poeta dixerit: „vana carentia pompa jura placent.“ Itaque ego quidem eorum sententiam sequor, qui „vetuit“ scriptura in textum recepta sic hunc locum explicant: nec matrona (paranympha scil.), turritam coronam gestans ut aliis in nuptiis solemnis erat usus (cf. Plaut. Cas. 4,4,1: „sensim super adtolle limen pedes nova nupta“) vetuit sponsam planta limen contingere.

R. A. 231. Met. 14,250. Fast. 5,650. Pont. 3,6,20. Claud. 5,8. 223.

recuso:

Luc. 6,4: Moenia Grajorum spernit Martemque secundum
Jam nisi de genero fatis debere recusat. 6,97. 7,268.

Val. 5,489: Aspera regum Perpetimur juga nec melior
parere recuso.

Sil. 1,112: Partusque recusent
Te surgente, puer, Latiae producere matres.
2,594: Umbrae recusent Captivo jacuisse solo.

De hac struct. cf. Dr. p. 323. Exemplis ejus adjungo: Cic. Phil. 8,8 „privatus esse non recuso.“ Hirt. B. G. 16. B. Alex. 11. Verg. Aen. 2,607. Liv. 28,45. 40,15. 42. Tib. 3,473. Ov. Am. 2,14,13. Pers. 1,41. 3,18. 5,79. 6,15. Stat. saep. (v. Lohr.). Quint. prol. 5. Plin. Epp. 4,17,11. Tac. Ann. 15,24. Claud. 8,43. 10,22. 26,303. 37,30.

B. verba causativa.

a) affirmativa.

do:

Duo sunt genera Infinitivorum ex dandi verbo pendentium, alio enim genere id quod datur circumscribitur, alio, quem ad finem aliquid detur, accuratius definitur; hoc quidem loco de illis [1]) Infinitivis dicendum est quippe qui accus. objecti partes sustineant.

Apud Lucanum haec exempla inveni:

1,251: Melius Fortuna dedisses
Orbe sub Eoo sedem gelidaque sub Arcto
Errantesque domos quam Latii claustra tueri.
693: Nova da mihi cernere litora.
2,348. 6,475. 7,481. 10,287. 410.

Val. 1,604: [2]) Da mergere Grajos
Insanamque ratem.

---

[1]) De altero genere Inff. infra § 4. C. 1. disputabo.

[2]) Hoc sibi licere Boreas ab Aeolo petit; adeo ut suppleto pronomine „mihi“ sensus sit „concede mihi ut Grajas carinas deprimem.“ Minus placet Krausei (l. l. 53) explicatio, ex qua hoc loco Acc. c. J. occurrat.

1,675: Da reddere terris
Has animas, patriaeque amplecti limina portae.
2,176. 5,515. 618. 7,246. 4,634 4,431.
Sil. 1,3: Da Musa decus memorare laborum
Antiquae Hesperiae.
2,492. 3,561. 567. 4,345. 369. 526. 716. 6,601. 702. 7,84. 165. 8,2. 113. 9,149. 328. 10,350. 13,145. 16,700.

dono:

Sil. 3,597: Hinc pater ignotam donabit vincere Thulen.
3,135.

Dr. de hoc usu p. 350 disputat. Laudatis binis exemplis e Vergilii et Horatii carminibus pergit: „sonst nicht nachgewiesen." Ego quidem praeter allatos locos laudo: Stat. Theb. 6,822. Quin etiam jam apud Enn. hic usus invenitur: Ann. fr. 18: „Doctusque Anchises Venus quem pulcherrima divum Fari donavit divinum pectus habere."

concedo:

Sil. 15,330: Si reclusas tramittere portas
Concedat Libycus rector.[1])

Hujus structurae permulta Dr. p. 318 exempla affert quibus haec adjungo: Cic. de Inv. 2,15,49. Tusc. 4,31,66. pro Quint. 15. de Leg. Agr. 2,20. Brut. 11,42. Or. 45,152. ad Att. 8,15. Caes. B. C. 1,84. Hirt. B. G. 44. Cat. 64,29. Hor. Ep. 1,5,12. Ov. Am. 2,14,43. Quint. 2,17,27. 6,3,28. 8,3,30. 6,76. 11,3,150. 12,1,37. 3,8. Tac. Ann. 14,55: „abavus Agrippae otium usurpare concessit" (Draeg. l. l.: „fehlt bei Tacitus".). Suet. Aug. 44. Ner. 12.

edico:

Sil. 3,320: Extemplo edicit convellere signa.
2,515. 7,313. 527.

Falso Draegerum de hoc usu contendere (p. 237) „seit Curtius sehr zerstreut der Infinitiv" apparet ex hisce locis: Verg. Georg. 3,295. Aen. [11,462] (ex cj. Ribb.). Liv. 40,38. Grat. Cyn. 447.

---

[1]) De passiva hujus verbi forma Infinitivum excipiente cf. p. 14.

erudio: [1])

Sil. 7,386: Si factis nondum, Minuci, te cauta probare Erudiit fortuna meis cf. 11,349 †.

Primum hujus structurae a Draeg. praetermissae exemplum inveni apud Ovid. Fast. 3,819: „Illa (Pallas) etiam stantis radio percurrere telas Erudit et rarum pectine denset opus," quocum cfs. Tac. Agr. 8: „eruditus utilia honestis miscere."

fero in locutione **animus fert:**

Luc. 1,67: Fert animus causas tantarum expromere rerum.

Non recte Dr. pg. 307 haec de hoc usu judicat: „ursprünglich poetisch ist animus fert c. J. und auch da aeusserst selten." Legimus enim Sall. Cat. 56,6 „diutius in his locis esse si maxime animus ferat frumenti egestas prohibet," ubi Inf. sine ulla dubitatione supplendus est. Ceterum Draegeri exemplis addo: Ov. A. A. 3,467. Pers. 4,7.

impero:

Luc. 4,33: Luce nova collem subito conscendere cursu Imperat.

Val. 2,481: Imperat Ammon Virgineam damnare animam 3,454. 4,148. 460. 522.

(duobus aliis locis, quos Krauseus pg. 61 affert, 3,436 et 7,47 occurrit Acc. c. J.)

Sil. 1,300: Pandere jam dudum portas ac cedere vallo Imperat. 2,385. 11,390. 16,379.

Recte quidem Dr. p. 314 contendit, hunc usum demum inde a Terentii temporibus occurrere; sed quum, laudatis duobus locis Ter., pergat „fehlt bei Cic., Caes., einmal bei Sall., selten auch bei Dichtern," ego laudo: Att. frg. 385; fab. inc. inc. 89; Prop. 5,8,85; Verg. Aen. 7,35; Curt. 10,1,19. Tacit. Ann. 2,25. 15,28.

indulgeo (= tribuo):

Sil. 14,672: Jussit stare domos indulgens templa vetustis Incolere atque habitare deis.

---

[1]) De structura „erudire alqm alqd" cf. Val. Fl. 2,50 Me tantum Tritania cursus Erudiit. Stat. Theb. 10,507 alqm leges.

Hujus constructionis quam laudare Dr. neglexit aliud exemplum non inveni.

mando:

Sil. 13,481: Saevo sepelire profundo

Examinos mandant Libycis Nasamones in oris.

Tac. Ann. 2,71. Falso igitur Draegerus laudato Tac. Ann. 15,2 contendit (p. 315) „sonst nur bei Martial (sc. 1,89)".

monstro:

Luc. 9,598: Monstrat tolerare labores Non jubet.

Val. 2,61: Atque adeo non illa sequi mihi sidera [monstrant].[1])

3,435: Vincula solvere monstrat Prima pedum.

Haec constructio a Dr. non commemoratur. Quapropter addo: Lucr. 5,1105 „vitam commutare monstrabant". Hor. S. 2,8,52. Verg. Aen. 9,44. Ov. Am. 1,6,7. A. A. 2,65. Fast. 3,579. Stat. (v. Lohr).

permitto:[2])

Luc. 7,864: Nullusque auderet pecori permittere pastor Vellere surgentem ostris de ossibus herbam.

8,64: Non ultra gemitus tacitos incessere fata Permisere sibi (famulae).

3,29 (omiss. dat.). 8,537.

In disputatione de hoc usu (p. 318) fugerunt Draegerum hi loci: Cic. Verr. 2,5.9. Liv. 32,1. 33,43. Ov. Her. 1,43. Pont. 1,7,63. 4,2,4. Trist. 5,1,53. Hor. Sat. 2,3,189. Nep. 9,4. Pers. 5,34. Plin. 3,1,11. 8,16,1. 9,13,19. ad Tr. 8.112. Pan. 4. Curt. 3,12,11. 4,16,18. 5,3,15. 6,1,21. 2,31. 7,3,23. 10,18. 8,2,4. 7,8. Tac. Ann. 13.29. 15,60. Hist. 3,35.51. Quint. 1,9,2. 2,7,5. 10,11. 6,3,28. 8,6,5. 9,4,58. 10,5,22. 11,3,157. Petron. 113. 138. Claud. 17,328.

relinquo (= permitto):

Sil. 3,708: Nullique relinquens

---

[1]) cod V., Heinsio praeeunte Baehr.: mens stat.

[2]) cf. p. 14 permissum est c. J.

Altius Ausoniae penetrare in viscera gentis.

5,657: Nulli jactare reliquit. Cf. 8,410 et supra p. 15 fin.

suadeo, persuadeo:

Val. 3,547: Ille animos tardusque fugere longumque resistens
Sollicitat suadetque pari contendere cursu.

6,600: Tantum effata magis campis intendere suadet.

Sil. 1,10: Atque impius ensis
Ter placitam suasit temerando rumpere pacem. 12,199.

(persuadeo:) Sil. 7,336. Hic Fabio persuadeat astus
Non certare dolis.

De his constructionibus cf. Dr. p. 312. Exemplis ejus addo: Lucr. 2,171. German. Arat. 400. [Verg.] Ciris 368. Phaedr. 1,15. Apul. Met. 3,19,218 fin. persuadeo: Tac. Germ. 14. Ap. Met. [9,25,642].

tribuo:

Val. 1,231: Cui genitor tribuit praenoscere divum Omina, praeeunte Ovid. Trist. 3,5,21: „Di tibi, posse tuos tribuant defendere semper“.

Dr. hujus struct. mentionem non facit.

b) negativa.

demo:[1]

Sil. 3,477: Praeteritos ultra meminisse labores
Conspectae propius dempsere paventibus Alpes.

Dr. hanc constructionem praetermisit.

eripio:[2]

Sil. 14,131: Eripuit evadere letum.

Hujus quoque structurae Dr. exemplum non praebet. Quocirca addo: Ov. Met. 2,483 „posse loqui eripitur“. Senec. Epp. 98,11: „habere eripitur habuisse nunquam“.

[1]) Adimo: Ov. ex Pont. 1,7,47. Sil. 9,160 (cf. p. 16 II^{b}.) exime castigare: Plaut. Cas. 3,1.3.

[2]) cf. p. 16 II^{b}. ereptum est e. J.

C. verba facultatis.

calleo:

Sil. 16,56: Retro jactare bipennem Callebat.

Haec constr. de qua cfr. Dr. pg. 296, primum occurrit ap. Pacuv. (Atal. 75.) „callent dominûm imperia metuere". Dr. laudatis exemplis Lucr. et Hor. pergit: „dann nur noch Juv." Quae opinio satis redargui videtur hisce locis: Pers. 5,104 „veri speciem dinoscere calles". Curt. 3,2,14. Apul. Flor. 1,3,11. (cf. Sisenn. 3 fr. 44 callere c. Acc. c. J.)

disco:[1]

Luc. 4,239: Mansuevere ferae et vultus posuere minaces Atque hominem didicere pati. 5,313. 363. 7,382. 10,169.

Val. 1,410. Discat eques placidi conscendere terga magistri.

Sil. 3,274: Aut ego multo
Nequicquam didici casus praenoscere Marte.
5,637. 8,304. 9,49. 10,120. 11,409. 15,360.

De hac constructione recte Draeg. pag. 333 disputat. Adjungendi sunt hi loci: Scip. Afric. min. Or. 10 (p. 192 Meyer.). Ter. Ad. 125. Afran. 255. 283. Pomp. Bon. 110.

fero (idem valens quod possum):

Luc. 4,795: Non tulit (Curio) afflictis animum producere rebus Aut sperare fugam.

Draegerus p. 318 fin. duo tantum hujus constructionis exempla praebet. Mihi praeterea haec praesto sunt: Prop. 4,6,47. Ov. Her. 7,166. Met. 13,459. Fast. 4,178. Claud. 15,381.

perfero:

Sil. 13,877: Pertulerit vinci turpemque durare senectam.

Hic usus a Draegero non commemoratur. Itaque laudo: Ov. A. A. 2,524.

profero:

Sil. 8,488: Haec (Luna) eadem pugnas accendere protulit aere.

---

[1]) condisco Plin. Epp. 7,21,2.

Draeg. de hac constr. non disputat.

habeo (= possum):

Sil. 16,|208|[1]): Quare age laetus habe nostros intrare penates.

Val. 1,|670|[2]). Sidere aquis tollique vicissim Pontus habet.

Dr. de hoc usu p. 294 sic exponit: „die Möglichkeit wird auch bezeichnet durch habeo mit folgendem Inf., gewöhnlich mit dicere, doch findet sich dies nur bei Cic., Suet. und Gell.". Itaque laudo: Varr. R. R. 1,1habeam curare. Liv. 44,22,4. Hor. Ep. 16,23. Ov. Met. 9,657. Pont. 3,1,82. Trist. 1,1,123. Col. 5,8,7. Ap. de Mag. 28.

nosco:

Luc. 3,22: Nondum flumineas Memphis contexere biblos Noverat. 9,198: Invasit ferrum, sed ponere norat.

Val. 6,326: Levibus componere brachia remis Novimus.

Sil. 7,169: Pocula nec norant succis mulcere Lyaei. Fonte sitim et pura soliti defendere lympha.

---

[1]) Sic Rupertius, sec. cod. Oxon.; Drakenb. ex cod. Col. „have" scripturam in textum recepit.

[2]) Hic locus in cod. V foedis mendis inquinatus est. Atque quum omnes fere interpretes carminis Valeriani permagnum laborem diligentiamque ad illum emendandum impenderint necesse est ut priusquam nostrum judicium proferamus, vv. dd. de eo sententias accuratius consideremus.

Sententiarum conexus est hic: Vixdum ratis Argoa in altum provecta erat quum tanta procella exorta est, ut jam ultimum sibi venisse diem pavidi Argonautae putarent. Tandem Neptunus fluctuantibus undis et turbatis litoribus quietem reddidit. Tum vero Jason vino libato Neptunum multis precibus obsecrat (v. 670 sqq.): „Seu casus nox ista fuit seu volvitur axis Ut superum sic staret opus tollique vicissim Pontus habet, seu cet . . . . . Haec luerim satis et tua numina rector Iam fuerint meliora mihi". In hac cod. V scriptura imprimis offendimur violata temporum quae dicitur consecutione. Quod vitium ut tollerent, vv. dd. alius aliam ingressus est viam. Atque Gronovius quidem asterisco ante verbum „tolli" posito legit: „sic stare * tollique vicissim", Burmannus coniecit „Seu solvitur axis Vi superum seu stare salum tollique cet.", Peerlcampius (ad Verg. Aen. 1,66):

8,497. 16,201. Eadem constr. occurrit hisce locis: Cat. orat. 10 (pg. 37 Meyer). Enn. Eum. 132. Lucr. 2,685. 1007. Moret. 69. Verg. Aen. 8,316. Hor. Sat. 2,3,24. Tib. 3,4,45. Prop. 3,7(2,15), 30. 20(25), 38. 24(28), 13. 4,23,5. Ov. Her. 6,53. Am. 1,3,6. Stat. et Juv. (cf. Lohr.). Mart. 2,52. 3,37. 7,26. 8,18 10,2. 15. 23. 14,104. 201. Quae exempla quum invenerim valde miror Dr. de hoc usu p. 296 sic disputare: „Erst seit dem 2. Jhd. n. Chr. findet man novisse statt scire mit dem Inf." Ceterum exemplis illius adjungo: Gell. 2,18,9. Claud. 75,4. 101,25.

praesto (=possum, efficio):

Luc. 5,228: Nullum belli sentire fragorem
Tot mundi caruisse malis praestare deorum
Excepta quis Morte potest? 2,228. 8,322.

Sil. 8,295: Numerare parentem
Assaracum retro praestabat Amulius auctor
Assaracusque Jovem.

simulo:

Sil. 4,391: Huic trepidos simulanti ducere gressus

„Et superum testatur opus", Thilo (prolegg. p. XXIII) cod. V scripturam servare non dubitavit quod ingeniosae sane illorum emendatorum conjecturae a codicis V memoria nimium in modum recederent. „Poetam", ait, „malo neglegentiae accusare quam librarios quum praesertim in sententia versus, quid offendat, non inveniam; ponit enim Jason axis volvatur necesse esse ut aequali mundi pondere non turbato aeternum opus durare possit". Sed quum ineptum videatur, tam inauditae neglegentiae poetam reum facere qualis in reliqua carminis parte non inveniatur, proponit Baehrensius (praef. p. XXIII): „sic constet opus tollique necessum Pontus habet". Quam conjecturam quum ad obscuritatem sensus explanandam nihil afferat, amplecti nequeo. Eadem de causa Hirschwaelderi (Cur. critic. in Val. Fl. pag. 16) emendationem „ut superum sacrum stet opus" improbandam censeo. Jam restat ut quo modo ego huic intricatissimo loco mederi conatus sim accuratius explicem. Ipsa cod. V corruptela sanandi viam mihi indicare videtur. Nam constat inter omnes qui accuratius Flacci carminibus emendandis operam dederunt, codicem V, ab indoctissimo librario scriptum, scatere scripturis et grammaticas et orthographicas leges vehementer offendentibus. Quod cum in alios permultos locos Valerianos

Xanthippus gladio, rigida cadit Eumachus hasta

Quum et nostro loco et tribus aliis, ubi similis constructio occurrit, Tib. 1,573. Ov. Met. 2,697. 4,338, facile pronominis Acc. suppleri possit haud scio an recte Draeg. p. 376 tantum locos laudaverit, ubi Acc. c. J. ex verbo „simulo“ pendet.

sustineo:

Luc. 5,792; Non maesti pectora Magni
Sustinet amplexu dulci nec colla tenere.

5,795: Neuterque recedens Sustinuit dixisse vale. 7,657. 9,759.

Val. 8,79: Ille haud Aeolio discedere fessus ab auro
Nec dare permissae — ora quieti Sustinet.

De h. usu cf. Dr. p. 321. Addenda sunt haec exempla: Vell. 2,40. 81. Ov. Met. 5,609. 6,606. 13,528. 584. 14,731. Phaedr. 4,15,8. Cons. ad Liv. 135. 394. Priap. 3,47,2. Plin. 9,13,6. ad Traj. 7(23). Pan. 26.60.86. Quint. 12,4,10. Mart. 10,56. Tac. D. 26.

D. vv. merendi.

mereo:

Luc. 2,221: Felix his Sulla vocari

---

tum imprimis in nostrum cadere mihi persuasissimum est. Genuina poetae verba haec esse puto: Seu volvitur axis Vi superum seu sidere aquis tollique vicissim. Pontus habet; quam opinionem sic defendo. VI et VT facile inter se confundi posse apparet. Neque porro illud seu sidere ita multo a tradita scriptura recedere quis est quin concedat? Quod denique attinet ad emendationem „aquis“ pro „opus“, sic rem fingo. Scriptum fuit nimirum in eo codice qui ex codice archetypo effluxit ex neglegentia librarii „axis“ pro „aquis“, (quam scripturam archetypus exhibuit). Tum ille qui hunc codicem recensuit, vir perdoctus scilicet, vocem „axis“ ex versu proxime antecedente librarii errore in hunc versum denuo translatam esse ratus aliud quodlibet verbum ex suo arbitrio, opus scil., in textum recepit. Deinde versus sic emendatus ab indocto codicis V scriptore ad literam descriptus est. Qua conjectura probata locus sic interpretandus est. Jason precatur a Neptuno ne amplius se suosque procellis excitatis vexet: „sive enim casu illa impetuosa nox ingruit, sive deorum voluntate axis volvitur, vel pontus continua vicissitudine mox fluctibus residet mox denuo crescit, acquiesce in calamitatibus quas tunc mihi attulisti“,

His meruit tumulum sibi condere campo. 5,317. 7,643. 8,651.

Val. 1,519: Quid Minyae meruere queri.

Sil.: 7,725: Seu meruisse negabunt Servari. 13,786.

mereor:

Val. 5,222: Exequar astus
Soligenae falli meriti meritique relinqui.

emereo:

Luc. 5,688: Nullusne tuorum
Emeruit comitum fatis non posse superstes
Esse tuis.

Falso Dr. p. 319 contendit „emereo nur zwei mal: Ov. Fast. 4,58. A. A. 3,409. Nam praeter locum Luc. mihi praesto est hic: Ov. Am. 3,1,47 „emerui plus quam tu posse".

Quod autem attinet ad constructionem verbi merendi Inf. excipientis, haec mihi a Dr. non laudata exempla suppeditant: Prop. 2,5,3: Phaedr. 3,11,12. Stat. (v. L.) Quint. 10,1,72. Claud. 1,61. 8,46. 15,28. 35,86.

II. Infinitivi excipiunt participia.

perosus:

Luc. 1,438: Andus in nebulis marcere perosus.

Haec structura a Dr. non laudatur, cf. tamen Dr. p. 331, ubi de Inff. aptis ex verbo odi et participio osus disputatur.

§ 4.
De infinitivis qui objecti remotioris cujusdam instar positi sunt.

Infinitivos recipiunt

I. verba.
II. substantiva.
III. adjectiva et participia.

I. A. De infinitivis ita e verbis aptis ut sint numero genetivorum:
a) e verbis impersonalibus.

piget, pigitum est:

Luc. 2,105. 209. 8,26. 215. 239. Val. 2,81. Sil. 1,646 2,472. 10,632. 16.681. pigitum est:

Sil. 7,173: Nec pigitum parvosque lares humilisque subire Limina coelicolam tecti.

Dr. p. 330 de hoc usu sic exponit: „Haeufiger (sc. quam taedet) ist piget: Sall., Liv. und so bei Spaeteren.“ Sed jam ante Sall. hanc constructionem usurpatam esse et Gellius testatur (15,13,9) et hisce exemplis satis comprobatur: Plaut. Pers. 4,6,8: nil mihi tam parvist quin me id pigeat perdere. Aul. 2,2,33: ne id te pigeat proloqui. Trin. 3,2,35: me piget non pudere te. Pac. Dulorest. 144: piget pudetque profari. Att. Androm. 103: hortari piget non prodesse id pudet. Varr. Sat. Men. pg. 190, l. 3: pudet me taedium Musarum agnoscere, piget currere et una sequi.

poenitet:

Luc. 4,385. Sil. 2,141.

Dr. haud scio an recte p. 336 contenderit „poenitet c. J. kommt zuerst bei Cicero vor". Nam excepto loco Pacuviano (Armor Judic. 31), ubi Hermannus probante Ribbeckio „proloqui non paenitebunt liberi ingrato ex loco" pro scriptura codd. „prologo nunc paenitebunt libunt liberi grato" conjecit, ante Ciceronem ego quoque hanc constr. non inveni.

pudet: [1])

Luc. 2,113. 446. 5,750. 9.886 saep. Val. 4,57. 7,482. Sil. 2.356. 3,508. 6,535 saep.

Quum perpauca tantum hujus struct. exempla e prisco lat. sermone petita Dr. p. 329 laudet, ego addo: Pl. Pseud. 47. Bacch. 1155 Ter. Heaut. 5,4,19. Pac. fr. 144. Att. fr. 103. Afran. Prodig. 271.

taedet,[2]) **pertaesum est:**

Sil. 7,227: Taedetque in tempore tali
Nullum clade nova claraeque fragore ruinae
Insignem fecisse locum.

Sil. 2,594: Sperare saluti Pertaesum.

Dr. ut de struct. „pertaesum est c. J." omnino non, ita falso disputat (pg. 333), „taedet wird nur aus Ter. angeführt." Quocirca addo: Tib. 2,5,93, Claud. 20,148. Pomp. Bon. fr. 93. „pertisumst [esse] pauperem." Lucr. 3,1016 „esse domi quem pertaesum est." 5,1150 „colere."

b) e vv. personalibus.

memini:

Luc. 4,707: Quis conferre duces meminit, quis pendere causas.

Sil. 3,118: Nati curam servare memento.
4,286. 817. 16,219.

Quum Dr. p. 302 exempla e Verg. demum ejus demque vel posterioris aetatis scriptoribus petita afferat, laudo

---

[1]) dispudet: Pl. Bacch. 481. Most. 5,2,44. depudet: Vell. 2,73.
[2]) Ter. Phorm. 1010: distaedet,

hoscelocos: (memini:) Pl. Bacch. 328. Capt. 2,1,51. Stich. 59.63. Caecil. 111. Ter. Enn. 340. Licin. Calv. fr. 13 (Müll.) Lucr. 4,153. (memento:) Pl Pseud. 1164. Capt. 231. Epid. 5,1,51. Lucr. 2,66. Cic. ad Att. 5,9,2.

obliviscor:

Luc. 3,143: Oblitus simulare togam. 5,444.

Dr. p. 326 laudato Naevii elogio adnotat: „scheint bei den Kom. zu fehlen.“ Quapropter laudo Pl. Most. 2,2,56 „lucernam forte oblitus eram exstinguere.“ Poen. 118. Pers. 4,7,12. Quibus exemplis addenda sunt haec: Cic. Verr. 2,4,12. Quint. 17. ad Fam. 7,14. 9,24.

B. De inff. qui sunt numero dativorum.

Inff. pendent e verbis

a) impersonalibus.

vacat:

Recte Kraus. l. l. p. 19 contendit, Infm. ex vacandi verbo pendentem non subjecti (haec est opinio Draegeri) sed dativi [1]) vices sustinere.

Luc. 2,118: Cui funera vulgi Flere vacet? 3,360. 377. 7,138. 9,90. (J. Perf.:) 3,101. 7,687.

Sil. 5,426: Nec spoliare vacat praedaeque advertere mentem. 7,269. 17,273 (= Verg. Aen. 10,625. J. Perf.)

Non recte de h. usu Dr. p. 338 sq. exponere: „das unpersönliche vacat c. J. findet sich erst bei Vergil“, apparet ex epistola Cassii (ap. Cic. ad Fam. 12,13,2) „Tibi vacet me excipere.“ Ceterum Dr. exemplis addo: Prop. 1,11,12. Ov. Trist. 5,2,6. Vell. 2,124. Germ. Ar. 11. Plin. 1,22,11. Curt. 10,10,12. Quint. 10,1,58. Petr. 121. Ap. Flor. 3,16,72. Claud 101,13.

---

[1]) De struct. „vacare alicui rei“ cf. Vell. 2,114. Plin. 3,5,15. Quint. 1,11,15. 12,14. Tac. Ann. 16,22.

b) e vv. personalibus.

[**absum:**]

Sil. 8,[636]: [1]) Nec densae trepidis absunt se involvere nubes
Cessaruntque aquilis.

desum:

Sil. 7,497: Pascere nec Poenus pravum ac nutrire furorem Deerat. 11,49.

Falso de h. struct. Dr. p. 326 contendit: „desum c. J. steht schon bei Prop.“ Legimus enim ap. Tib. (4,1,100) „Non desit tibi componere faciem pugnae.“ Georges (s.v. desum) praeter allatos locos duo enumerat ubi eadem constr. invenitur: Rutil. Lup. 2,18,132 (Ruhnk.) et Senec. „hoc adhuc defuerat tibi lugere vivos.“

invigilo: [2])

Val. 5,257: Omnes prohibere minas praedictaque Phoebi Invigilat.

Hac struct. a Dr. non commemorata solus noster uti videtur.

insto: [3])

Val. 4,643: Dumque ocius instant Ferre fugam.

Sil. 1,374: Obstabatque jacens vallum, ni protinus instent Hinc atque hinc acies media pugnare ruina.
6,98. 7,655. 10,410. 13,107.

Dr. exemplis p. 303 allatis adjungo haec: Pac. Anticl. 249 „reportare instat.“ Lucr. 3,1064. 5,298. Verg. Aen. 10,118. [Cul.] 75. 321. Prop. 1,20,37. Nep. 25,11. Curt. 4,7,27. 6,7,25. 9,1,33. Tac. Ann. 11,34. Cl. 36,34.

---

[1]) Locus corruptus est. Cod. Colon. praebet scripturam „absum“ pro lectione vulgata „absunt“. Vix dubitari potest quin conjectura Dausqueji, ab omnibus ni fallor editoribus in textum recepta „nec densae trepidis apium se involvere nubes Cessarunt aquilis“ genuina poetae verba restituta sint.

[2]) De struct. „invigilare alicui rei“ cf. Val. 2,374 rati. Sil. 10,330 curis. 14,187 armis.

[3]) Luc. 1,148 favori. Val. 2,175 planctibus. Sil. 2,407 operi. Tac. Agr. 18. famae.

parco:

Luc. 7,659: Parcite ait Superi cunctas prosternere gentes. 10,395.

Val. 7,225: Cetera parce queri. 6,[417].[1])

Sil. 9,46: Cladi parce obvius ire. 5,757. 17,27.

Dr. de hoc usu satis accurate p. 322 disputat. Exemplis ejus addo: Tib. 1,6,51. 3,5,6. Prop. 2,5,18 4,14,43. Phaedr. 4,16. Cons. ad Liv. 375. Ap. de Mag. 23,444.

suesco (et composs.): [2])

Sil. 15,763: Ite, docete viri Romanae vulnera suerint
Quanta afferre manus.

De hoc usu cf. Dr. p. 334. Neglexit laudare: Cat. 63,25. Verg. Aen. 3,541. 5,402. Hor. S. 1,8,17. (cf. suetus.)

assuesco: [3])

Sil. 13,221: Subsistere saepe leonem
Nudus inire caput pugnas certare juvenco
Atque obliqua trucis deducere cornua tauri
Adsuerat crudoque aliqua se tollere facto. 15,446.

Falso Dr. p 344 disputare „assuesco c. J. fehlt noch im alten Lat.“ ostendit Pl. Asin. 887: „Censen tu illum hodie primum ire adsuetum esse in ganeum?“ Ceterum exemplis ejus addo: Ov. Met. 8,335. 11,314. Tr. 2,504. Phaedr. 1,16,5. 4,7,7. Plin. Pan. 20. Quint. 1,2,18. 9,5. Suet. Aug. 49.[4])

sufficio (v. § 4. IIIB s. v. sufficiens):

Luc. 5,153: Sufficiens placare.

Val. 8,274: Quinquaginta animaeme scilicet unaque mersa
Sufficiet placare ratis?

Sil. 6,246: Solusque manus componere monstro Sufficiam.

---

[1]) Ex cj. Baehrensii „mittere parcunt Tela.“ Col. V lacunam habet.

[2]) De struct. suescere alcui rei v. infra s. v. „suetus.“ § 4. IIIB.

[3]) assuesco alcui rei Prop. 3,4,6. Liv. 2,1. Valer. 5,516 frenis. Tac Agr. 21. Quint. 4,2,29.

[4]) Liceat mihi addere: desuesco: Tib. 2,1,38 „desuevit pellere famem glande“ (Dr. l. l. contendit „des. nur bei Liv.“) et consuefacio c. J.: Ter. Ad. 75, quae construct. a Dr. non. commemoratur.

De h. constr. Dr. aliam alio loco sententiam protulit; p. 293. enim contendit: „sufficere (sc. c. J.) nur Verg. 5,22", p. 352: „sufficere als persönliches Verb ebenfalls nur zweimal, Verg. 5,22 und Luc. 5,153." Neutro autem loco recte eum judicasse cum exemplis allatis tum hisce comprobatur: Pers. 3,3. Tac. G. 32. Petr. 121. Cl. 21,310. 24,324.

vaco:

Luc. 7,630: Mors nulla querela
Digna sua est nullosque hominum lugere vacemus.

Quum hjs. struct. Dr. mentionem non fecerit, laudo Vell. 1,15,1. Stat. Theb. 8,185. Petr. 115.

C. De infinitivis ita e verbis pendentibus ut accusativorum quos vocant finalium vel respectionis munere fungantur:

Infinitivos recipiunt

1. vv. causativa.
2. vv. facultatis.
3. vv. nitendi et similia.
4. vv. movendi.

1. verba causativa.

ago (et composita; cf. Dr. p. 317):

Val. 3,684: Quiscunque virum perquirere silvis Egit amor.

adigo:

Sil. 2,497: Tectisque novis succedere adegit
Fecundum in fraudes hominum genus.

Exemplis a Dr. l. l. collectis addo: Tac.[1]) Ann. 6,33(27). 47(41). 11,25. 12,4. 59. 14,24.

cogo:

Luc. 1,542: Involvitque diem tenebris gentesque coëgit
Desperare diem. 2,581. 4,362. 709. 732. 5,127. 522. 6,601. 7,201. 785. 9,211. 881. 1055. 10,163. 243.

---

[1]) Memoratu dignum est excepto uno loco (Ann. 11,10) semper ap. Tac. passivam formam ita usurpari et hunc usum non occurrere nisi in annalibus.

245. 467. Val. 4,144. 7,112. 185. 8,388. Sil. 4,114. 11,104. 12,663. saep..

Singulis Ter. et Lucil. exemplis laudatis Dr. p. 317 pergit „dann haeufiger seit Cic.“ Quapropter haec exempla necessario adjungenda videntur: Pl. Capt. pr. 13: Histrionem cogis mendicarier. Enn. Cresph. 117: Cur talem invitam invitum cogis linquere? Ter. Andr. 11.[631]. Att. fr. 152. Ael. Tuber. Hist. 9,9. Laber. fr. 35. Varr. R. R. 2,5,15. Lucil. 188. 421. 958. 1079.

subigo:

Sil. 12,60: Tandem ad vicinos Cumarum vertere portus
Defessos subigit varioque lacessere motu
Fortunam et famae turbando obstare sinistrae.
13,709. subigor: 1,635. 17,571.

Exemplis Dr. addo: Pl. Amph. 1142 „subacta est facere.“ Lucil. 968. Lucr. 3,1076. 6,736. [Verg.] Cir. 183.

adsum:

Sil. 9,532: Non Teucros delere aderam (h. e. non aderam ut delerem).

Haec struct. a Dr. non commemoratur.

compello:

Luc. 3,143: Tunc Cotta Metellum
Compulit audaci nimium desistere coepto.

Sil. 8,98: Ad magicas etiam fallax atque improba gentis
Massylae levitas descendere compulit artes.

Praeter locos a Dr. p. 316 laudatos mihi suppeditant hi: Ap. Met. 1,6. 2,22. 3,9. 15. 5,20. 8,24. Flor. 3,16. de Mag. 56.

impello:

Luc. 7,746: Impulit amentes aurique cupidine caecos
Ire super gladios supraque cadavera patrum
Et caecos calcare duces.

Val. 1,672: Te subitae nova puppis imago
Armorumque hominumque truces consurgere in iras
Impulit.

Sil. 1,690: Sed lacrimae atque ira mixtus dolore impulit omnes
Praecipitare latens fatum.

Draegeri exemplis (p. 314) addendus est. Stat. Theb. 10,737.

do:

Luc. 4,805: Has urbi miserae vestro de sanguine poenas
Ferre [1]) datis.

7,480: Excepit resonis clamorem vallibus Haemus
Peliacisque dedit rursus geminare cavernis.

Val. 4,252: Dixit et urguentis post sera piacula fati
Nescius extremum hoc, armis innectere palmas
Dat famulis.

6,[357]: Ut bovis exuvias multo qui [frangere] [2]) olivo
Dat famulis.

Sil. 5,323: Spectatae nobile pugnae
Germano dederat portare in proelia pignus.
11,457. 550. 17,168.

Exemplis Draegeri (p. 349) adjungo: Cat. R. R. 103. Lucil. 225. Lucr. 3,1028. 6,1224. Tib. 1,8,56. Prop. 3,15,18. 4,10,63. Stat. saep. (v. Lohr.). Claud. 3,43. 22,262. 36,337. al. (cf. „datur, datum est" p. 16.)

addo:

Sil. 9,207: Addam etiam flava Thybris quas irrigat unda
Captivis late gregibus depascere ripas.

Hjs. struct. a Dr. non commemoratae alterum exemplum praebet Silius, ubi tamen Inf. accusativi objecti vices sustinet: 8,547: Ille viris pila et ferro circumdare pectus Addiderat (= docuerat).

hortor:

Val. 1,213: Sedem defendere cuncti
Hortantur. 2,344. 6,18. 7,375. 8,216.

Sil. 7,346: Coeptis ire ministrum
Haud segnem hortantur. 11,59. 601. 14,524.

---

[1]) Tres codd.; Cortius et Weberus: „nempe" pro „ferre".

[2]) Cod. V probante Thilone: „frangit", „frangere" Baehrensius praeeunte Heinsio ex scriptura editionis Aldinae.

De hac constr. cf. Dr. p. 311. Exemplis ejus addo: Cic. Sest. 3,7. Brut. ap. Cic. ad Fam. 11,20,4. Verg. Aen. 2,33. Quint. 4,5,23. Stat. Ach. 1,370. Claud. 8,460. 42,8. Dict. Cret. 2,50. 3,5.

moneo, admoneo:

Val. 3,580: Saevae monet meminisse novercae. 3,614. 4,142.

Val. 3,146: Diversasque simul socios invadere turmas Admonuit.

Draegeri p. 311 sq. de vv. monendi prolatam sententiam „diese VV. kommen mit Ausnahme von dehortari noch nicht im alten Latein vor mit dem blosen Inf.," redarguit Aquil. Boeot. 6 „Ubi is non monebat esse". Ceterum exemplis ejus addo: (moneo:) Cic. de cons. suo 2,50. ad Fam. 1,1,2. Lucr. 5,1399. Hor. C. Saec. 5.8. Ov. Met. 7,256. Fast. 4,131. 5,353. Hal. 52. Grat. Cyn. 289. Stat. Curt. 3,4,13. 10,1,27. (Dr. sub finem disputationis l. l. adnotat: „auffallend ist es, dass weder Livius noch Curtius ein verbum monendi mit dem Infinitiv verbunden hat".) Tac. Ann. 1,63. Auson. Edyll. 15,29. Claud. 20,372. (admoneo:) Cic. Tusc. 3,25,60. in Verr. 2,1,24. 63. pro Cael. 14,34. Lucr. 3,1037. Liv. 24,9. 40,56. Verg. Aen. 9,109. Hirt. B. G. 12. Ov. Met. 3.602. 6,150. Fast. 3,849. Hal. 83. Grat. Cyn. 378. Phaedr. 3,17,13. Plin. 5,9,3. 7,26. Tac. Ann. 6,13(7). 15,67. Suet. Caes. 8. Ner. 23. Calig. 22. Vesp. 22. Gell. 1,13,8.

relinquo:[1])

Luc. 5,762: Nil mihi de fatis thalami superisque relictum est, Magne, queri (= ad querendum).

sollicito (cf. Dr. p. 316):

Luc. 5,68: Finemque expromere rerum Sollicitat superos (Appius).

stimulo:

Luc. 6,423: Stimulante metu fati praenoscere cursus.

---

[1]) v. p. 15 et 56 sq.

Sil. 7,349: Instat trepidis stimulatque ruentes
Navus obire timor.

12,503: Sparsosque per arva juvencos
Jactare accensis stimulavi cornibus ignes.

Haec constr. non, ut Dr. p. 316 contendit, apud Verg., sed apud Lucret. primum occurrit: 4,190 Stimulatur fulgere fulgur. Addendus est Draegeri exemplis Col. 2,2,26. (Dr. l. l.: „stimulare" c. J. ist dichterisch.)

urgeo:

Sil. 13,427: Ferroque cavare refossam Urget humum.

Hjs. constr. a Dr. mentio fit nulla. Quapropter laudo locum ubi primum eam occurrere puto: Hor. Od. 2,18,20: Marisque e Bajis obstrepentis urges Summovere litora. Cf. [Verg.] Cul. 261: „Persephone comites heroidas[1]) urget Adversas praeferre faces."

2. vv. facultatis.

a) affirmativa.

valeo, evaleo:

Luc. 1,364: Dum pila valent fortes torquere lacerti.
2,289. 3,636. 5,433. 647. 7,534. 8,378. 487. 622.

Sil. 1,603: Latiaeque valent succurrere classes.
2,280. 4,102. 700. 5,16. 187. 298. 7,113. 387. 470. 740. 9,19. 10,68. 195. 11,339. 12,38. 14,457. 15,190. 17,432.

Draegeri de hoc usu sententia (293,1) „fehlt in der Verbindung mit dem Inf. noch bei den klassischen Prosaikern" haud scio an redarguatur Cic. Oecon. fr. 6 „Neque milites neque imperator sine ordine atque dispositione quidquam valet explicare." Ceterum exemplis ejus addo: Lucr. 1,365. 602. 630. 3,1085. 4,481. 5,58. 6,78. Verg. Aen. 7,305. 9,807. 10,50. 11,872. 12,782. Ecl. 9,38. (Cul. 194.

---

[1]) Ex scriptura cod. B; cod A exhibet „heroida surget".

Ciris 12). Hor. Od. 3,25,15. Epod. 5,87. 17,4. Sat. 1,9,39. 2,7,87. Epist. 2,1,200. 3,304. Tib. 4,1,55. Prop. 1,14,7. 4,22,35. Ovid. Her. 1,106. 12,166. A. A. 1,561. Met. 2,59. 161. Stat. saep. (v. L.) Phaedr. 4,1,11. Colum. 2,1,3. 2,10,9. 6,5,1. 25,2. 12,19,2. Plin. Paneg. 46. Tacit. Ann. 6,41(36). Suet. Claud. 18. Galb. 21. Caes. 79. Apul. Flor. 1,2,7. de Dogm. Plat. 2,8,231. Claud. 5,517. 8,300. 20,22. 26,90. 29,50. 48,9. Pall. Nov. 8,1. de Insit. 1,20,1.

evaleo:

Luc. 4,83: Pyrenaeae quas nunquam solvere Titan
Evaluit fluere nives.

Hujus usus, de quo Dr. disputare neglexit, ante Luc. duo exempla inveni: Verg. Aen. 7,756 et Hor. Epp. 2,1,200. Praeterea laudo: Stat. Sil. 5,2,79. Claud. 28,80. 302. 36,92.

b) v. negativum.

deficio:

Sil. 3,110: Sic foedera nota
Primitiaeque tori gelidos ut scandere tecum
Deficiam montes, conjux tua? 13,358: Talenta
Poscere longinquum non deficientia bellum.

De hac struct. igitur falso Dr. p. 326 contendit „deficere (c. Inf.) nur Prop. 1,8,23". Praeter exempla laudata haec mihi suppeditant: Lucr. 1,1040. Tib. 4,1,91. Germ. Ar. 260.

4. vv. movendi.

eo:[1]

Sil. 4,793: Justa ite precari Ture pio.

De hoc usu cf. Dr. p. 351. Exemplis ejus adjungo: Enn. Sota 1: „Ibant malaci viere Veneriam corollam". Prop. 1,1,12. Stat. saep. (cf. Lohr.).

meo:

Val. 7,[542]: Dumque ea longe Explorare [meat].[2])

[1]) Redeo c. J.: Ap. Met. 5,31,379.

[2]) Baehr. praeeunte Wagnero; cod. V scripturam „queat" praebet, Pius et plerique editores „parat" legunt.

De hac structura neque Dr. disputat neque ego exemplum inveni quod addam.

ruo:

Sil. 1,170: Ruunt tormenta [parare][1]).

14,581: Nec mora quin trepidos hac clade irrumpere muros
Signaque ferre deum templis jam jamque [r]uisset[2]) (sc. Marcellus).

Dr. unum tantum hujus usus exemplum, Prop. 4,1,71, laudat. Quocirca addo: Stat. Theb. 7,177. Claud.[3]) 36,387.

venio:

Luc. 5,302: (Caesar) fortunamque suam per summa pericula gaudens Exercere venit.

Val. 6.647: Vos Scythiae saturare canes Scythiaeque volucres Huc miseri venistis?

Multa hujus usus exempla Dr. p. 351 attulit; quibus addenda sunt haec: Varr. R. R. 2,1,1 „visere venissemus". Mart. 4,78. [Verg.] Ciris 172.

volo:

Val. 4,407: Ast Erebi virgo ditem volat aethere Memphin
Praecipere et Pharia venientem pellere terra.

Haec constr., cujus mentio a Dr. non fit, Valerio propria videtur.

3. vv. nitendi et similia.

certo:

Luc. 6,255: Telaque confixis certant evellere membris.

---

[1]) Ex conjectura Nic. Heinsii pro codd. scriptura „tormentaque portant", quae a Rupertio in textum recepta est.

[2]) Hic quoque locus corruptus est. Legitur enim in codd. „fuisset" pro „ruisset" (cj. Heinsii). Mihi quidem emendatio „ruisset" valde arridet, quippe quae facillima sit et magis quam illud fuisset sensui satisfaciat.

[3]) Cf. Claud. 37,150: concurro c. Inf.

Val. 3,555: Hoc pueri spes lusa modo est nec tendere certat Amplius.

Sil. 1,561: Hinc puer invalidique senes hinc femina ferre Certat opem in dubiis miserando nava labori. 2,348. 3,695. 4,24. 550. 572. 5,66. 495. 6,393. 7,676. 9,332. 10,211. 466. 11,5. 431. 15,231. 353. 16,405.

Exemplis Draegeri (p. 309) adjungo haec: Cic. Progn. 3 (Baehr.) = de Div. 1,7,13. Tib. 2,3,57. Stat. (v. L.) Cons. ad Liv. 207. Claud. 9,4.

ignesco:

Sil. 13,179: Hinc ardore pari nisuque incurrere muris Ignescunt animi penetrataque tecta subire.

De hac constr. nihil a Dr. disputatum inveni.

luctor:

Sil. 3,54: Tum vada ceu saeva penitus permota tridenti Luctantur terris tumefactum imponere pontem. 7,359. 12,139.

De hoc usu cf. Dr. p. 301 [1]).

nitor:

Sil. 3,528: Quoque magis subiere jugo atque evadere nisi Erexere gradum crescit labor. 5,279. 7,599. 611. 8,155. 9,136. 145. 10,344. 12,111. 14,535. 15,240. 16,396. 416.

Dr. p. 300 contendit „nitor c. Inf. sehr selten bei Dichtern.“ Itaque laudo: Lucr. 3,63. 970. 2,12. Tibull. 4,1,21. Ov. Her. 6,85. Met. 2,618. 5,349. 8,695. 11,702. 13,333. Pont. 1,3,40. 3,5,34. 57. Fast. 2,614. Ib. 151. Grat. Cyneg. 22. Phaedr. 4,25,15. Claud. 26,75. Quibus exemplis adde Nep. 16,2,1. Plin. Epp. 9,19,3. Apul. de Dogm. Pl. 1,2,185. Pall. Febr. 32.

---

[1]) Ap. Hor. hunc usum non inveni, quamquam Dr. contendit „ebenso bei Hor.“ et Georg. s. v. luctor adnotat „mit Inf. Hor.: compescere risum“. Sed locus (Sat. 2,6,63) ubi haec locutio occurrit in omnibus quas inspexi editionibus sic legitur „Varius mappa compescere risum Vix poterat“.

adnitor:

Sil. 11,537: Adnitamur, ait, vires refovere tot haustas Casibus.

15,574: Illum augent cursus adnisi aequare sequendo.

Falso igitur Dr. l. l. contendit „adnitor c. Inf. ist nur aus Liv. und Tac. zu belegen.“ Eandem constr. inveni ap. Ap. de Mag. 36,478 et 67,540

persto (cf. Dr. p. 305):

Val. 7,58: Si tamen his perstas aliter non cedere terris.

8,83: Cunctaque Lethaei quassare silentia rami Perstat.

Sil. 5,103: Divisus quisque timori
Nunc superos, ne Flaminio, nunc deinde precari
Flaminium ne coelicolis contendere perstet.

11,598: Enses non reddere perstat.

14,118: Perstat non pandere portas.

pugno;

Luc. 4,733: Incertoque pedum pugnat non stare tumultu. [cf. 3,490.][2])

Sil. 11,402: Nec crinem Assyrio pugnet perfundere amomo.

De hoc usu, quem praecipue amat Ov., Dr. p. 301 disputat. Exemplis ejus addo: Ov. Her. 13,77. 17,137. Am. 1,5,14. R. A. 122. Met. 2,812. 9,79. 11,703. saep. Pont. 3,2,86. Fast. 2,648. 6,515. 3,307. Ib. 18. Claud. 35,196.

tendo:

Val. [3,469]: [3]) Remis obsistere ten[dit].

4,519: Cur tenditis ultra In famulos saevire Jovis.

Sil. 13,443: Quaecunque ante animae tendent potare cruorem Disice.

„Tendere c. Inf. zuerst bei den Augusteischen Dichtern,“ Dr. p. 299 contendit. Cui sententiae repugnat Lucr. 5,728 „convincere tendit.“ Praeterea haec exempla hujus structurae a Dr. non laudata inveni: Pers. 5,139.[4]) Quint. 6,8,3.

[1]) Cf. Vell. 1,9,6: obnitor c. Inf.

[2]) Cortius „pugnat“, codd. „tentat.“

[3]) Thilo, ceteri editores „tentat“, exitus verbi in cod. V corruptus est.

[4]) Intendo c. Inf. Pers. 2,49. 5,115.

Stat. (v. Lohr.) Tac. Ann. 1,19. Claud. 18,300. 26, 167. 429. 28, 466. Auson. Ep. 24,13.

vinco (cf. Dr. p. 296): [1])

Sil. 4,429: Et primum hoc vincat, servasse parentem.

7,223: Stat pensata diu belli sententia, vincam Servare invitos urgentesque ultima fata. 5,550.

vindico:

Luc. 8,674: (Caput) postquam trunco cervix abscissa recessit Vindicat hoc Pharius dextra gestare satelles.

Haec structura a Draegero non commemoratur.

D. De inff. ita e verbis aptis ut sint numero ablativorum.

Ut supra, ubi de Inff. qui genetivorum vel dativorum instar positi sunt disputavi, sic hoc quoque loco allaturus sum locos quibus appareat, Infinitivum ablativi vices sustinere. Atque primum quidem dicendum est de verbo:

absisto: [2])

Sil. 6,449: Patrios damnare penates Absiste.

Exemplis Dr. (p 325) addo: Ov. Met. 11,531. 12,529. Phaedr. 3,2,18. Colum. 12,19.

desisto:

Sil. 6,473: Sic nobis rerum exitio desistite honorem Tendere.

Luc. 5,744: Desiste preces tentare.

Quum Dr. ad hunc usum illustrandum p. 325 duobus locis Plaut. laudatis pergat: „ebenso wird desistere bei Klassikern und Späteren construirt,“ adjungenda sunt duo exempla: Ter. Ht. 876. Hec. 104.

---

[1]) De structura „victus c. J.“ cf. cap. IIIA hjs. paragr.

[2]) A. „precando“ Verg. „bellis“ Val. 3,451. „obsidendo“ Liv.

anteeo: [1])

Sil. 5,352: Unguere vulnus
Herbarum hic succis ferrumque e corpore cantu
Exigere et somnum tacto misisse chelydo
Anteibat cunctos.

De hac constr. Dr. non disputat.

cedo: [2])

Sil. 6,307: Martem regere atque astus adjungere ferro
Et duris facilem per inhospita ducere vitam
Haud — cederet Hannibali.

De hac struct. Dr. disputare neglexit; mihi quoque aliud exemplum non praesto est, nam Hor. Epp. 2,1,67 et St. Theb. 1,704 aliam vim (= permitto) verbum cedendi habet.

cesso: [3])

Luc. 2,293: Non corniger Hammon
Cessavit — mittere catervas.

10,356: Cessas accurrere solus Ad dominae thalamos?

Sil. 3,247: Resonare superbo
Hannibal haud unquam cessabat avunculus ore.

3,5: Nec vatum mentes agitare et praescia corda
Cessatum super imperio. 5,64. 6,537. 7,687. 8,626. 638. 10,406. 12,307. 13,461. 15,652.

Exemplis Dr. p. 326 collectis haec adjungo: Pacuv. 111. 385. Enn. (R.) 330. Turpil. 212. Att. 302. 519. Cornif. 4,52,65. Lucr. 3,1048. 4,221. 589. 5,279. 6,927. 1235. Cic. ad Qu. Fr. 2,2,2. Prop 1,12,1. Curt. 6,11,14. Petr. 117. Ap. Met. 9,23.

arceo:

Sil. 5,51: Fraude artati remeare foraminis arcet
Introitu facilem quem traxit ab aequore piscem.

---

[1]) De structura anteeo alqm re cf. Plaut. Cist. 2,1,3. Ter. Ph. 2,1,17. Verg. Aen. 12,84. Nep. Thras. 1. Liv. 38,51. al.

[2]) Cedere alcui alqa re: Cic. N. D. 2,61,153. Caes. B. G. 2,6. Hor. S. 2,4,69. Ov. M. 5,529. 6,6.

[3]) Cesso fletu Sil. 2,653. Marte cruento Luc. 4,24. Liv. 1,46,6 audacia. 42,6,8 officio,

13,341: Obtendensque manum solem infervescere fronti
Arcet.

De hoc usu cf. Dr. 332. Memoratu digna fuit constructio porcet (= porro arcet) c. Inf., quae hisce locis invenitur: Enn. frg. 281 (R.): „Dein senis me facere pietas civium porcet pudor“ et Lucil. 213 „procedere porcent.“

dignor:[1]

Val. 7,46: (Me) nullo dignetur vincere bello.

Sil. 13,568: Magnis semper divis regique deorum
Jurari dignata palus.[2]

inhibeo:[3]

Sil. 6,431: Inhibens (eum) convellere vulnera questu. Sen. Herc. Oet. 1030: „Inhibenda tamen est mater mori“. Plin. 2,16,13 „Inhibentur rectum agere cursum“. Quint. 10,1,18 „Velut tacita verecundia inhibemur credere“.

Dr. hunc usum non commemorat.

II. De infinitivis remotioris objecti instar pendentibus ex substantivis.

Omnes quos hic allaturi sumus Infinitivos Genetivorum loco positos esse priusquam de singulis locutionibus disputemus docebimus exemplis cujusque substantivi cum genetivis nominum conjuncti allatis

amor (cf. Dr. p. 349):[4]

Sil. 3,328: Mirus amor populo quum pigra incanuit aetas
Imbelles jam dudum annos praevertere saxo
Nec vitam sine Marte pati

13,720: Sed raptabat amor priscos cognoscere manes.

Draegeri exemplis addo Verg. Aen. 12.282. Stat. (v. L.)

[1]) Dignor alqm re: Verg., Ov., Suet., alii saepissime.

[2]) De Inf. objecti accus. instar ex verbo „dignor“ apto v. p. 40.

[3]) Valde doleo quod nullum locum inveni ubi occurrit constructio „inhibeo alqm alqa re.“ Attamen nullo modo dubitari posse puto quin Infinitivus verbum „inhibeo“ excipiens pro ablativo accipiendus sit, quum inhibeo hoc loco idem valeat atque prohibeo.

[4]) „Martis“ Val. 1,656. 694. Luc. 2,323 „belli“. Ov. Met. 1,131. Hor. Ep. 1,7,85 „habendi“ al.

animus:[1]

Luc. 9,389: Neque enim mihi fallere quemquam
Est animus tectoque metu producere vulgus.
Val. 1,165: Socium te jungere captis Est animus.
4,193: Omnibus idem animus forti decernere pugna.
Sil. 16,293: Jam vestra tumulos celebrare meorum
Est animus pacemque dare exposcentibus umbris.

Dr. (p. 306) exemplis addo[2]) Ovid. Her. 7,181. Met. 3,559. Pont. 2,9,55. Phaedr. 3,1,13. 7,25. Tac. Ann. 1,56. 5,7.

ardor:[3]

Sil. 14,719: Appellare viros erat ardor et addere verba, praeeunte Ov. Met. 10,81: „multas tamen ardor habebat Jungere se vati".

causa:[4]

Luc. 5,463: Apso (flumini) gestare carinas Causa palus.
580: Sola tibi causa haec est justa timori
Vectorem non nosse tuum.

De hoc usu cf. Dr. p. 349 et p. 18 hjs. opusculi.

culpa:[5]

Sil. 7,551: Nos aequavisse minori Solvetur culpa.

Hunc usum de quo Dr. nihil disputat, apud Sil. tantum inveni.

---

[1]) Nominis „animus" cum genetivo conjuncti quum exempla mihi non praesto sint laudo: Luc. 9,226 „mente fugae aperta" i. e. „non dissimulare potuit, se fugam cupere" et „mens ruendi in ferrum" Luc. 1,460.

[2]) Cf. Priap. 3,2,6 „sensus et cor defuerunt" c. Inf.

[3]) Luc 5,129 a. noscendi. Val. 6,150 velleris. Sil. 1,582 pugnandi. 14,90 fovendi.

[4]) Causa orandae salutis Luc. 4,347. petendae Hesperiae 5,690. furoris Val. 2,239. viarum 7,223 et Sil. 7,427. Ov. Met. 1,507 sequendi. 2,614 dolendi.

[5]) Luc. 8,648 culpa bellorum libera. Val. 4,477 culpam pendi saevitiae,

cupido:[1])

Sil. 7,225: Si lucis piget et (sc. vobis) supremis esse
cupido est Nominis Ausonii.

De h. constr. cf. Dr. p. 345 et 348. Exemplis ejus addo: [Verg. Aen. 2,349 Ribb.] Stat. Ach. 1,494 (v. L.) Just. 12,7,13.

cura: [2])

Luc. 1,639: Figulus cui cura deos secretaque coeli
Nosse fuit. 3,706. 8,799.

Val. 9,417: Neque cura cavere tela.

Sil. 3,62: Curarum prima exercet subducere bello
Consortem thalami. 9,135. 11,275. 16,246. 595. 17,76.

De Inf. subjectivo cujus praedicatum est substantivum „cura" p. 18 disputavimus. Dr. de hoc usu p. 348 exponit: „cura u. curae est wiederholt bei Dichtern und Spaeteren." Tum laudatis locis Vergilianis adnotat: „dann in der Prosa des silbernen Zeitalters." Itaque laudare operae pretium videtur: Enn. Ann. 131 „Ingens curast mis concordibus aequiperare."

damnum (Draeg.?): [3])

Luc. 10,429: Visum famulis reparabile damnum
Illam mactandi dimittere Caesaris horam.

exemplum (Draeg.?): [4])

Sil. 17,141: Exemplum non umquam fidere laetis
Sceptiferis arta palmas vinxere catena,

(i. e. ex Rupert. interpretatione „perspicuum fuit exemplum, eine Warnung, nunquam fidendum esse laetis rebus.")

---

[1]) Luc. 7,747 auri. 10,268 noscendi. Ov. Met. 3,620 praedae. 5,218 regni.

[2]) Ov. Met. 11,397 pacis tuendae. 14,835 videndi. Phaedr. 3 prol. habendi. Quint: dicendi, docendi, scribendi.

[3]) D. amissi corporis Phaedr. 3,11,3. lucis ademptae Ov. Met. 14,197. fugae Luc. 5,336. aquarum 10,307.

[4]) Cf. Plin. 4,24,6 „quod potest esse documento nihil desperare, nulli rei fidere."

facultas:

Val. 3,16: Tibi enim superum data, virgo, facultas
Nosse animos rerumque vias.

Falso Dr. p. 346 de hoc usu contendit: „wird nur aus Stat. und Valer. belegt." Legimus enim ap. Auct. B. Afr. 78 „Ut haberent facultatem turmas Julianas [circumfundere]".[1]) et apud Auson. Ephem. 64 „Male posse facultas nulla adsit."

fas (Draeg.?): [2])

Val. 8,423: Hi reddere (me sc.) forsan Fas habeant.

fiducia (Draeg.?): [3])

Sil. 1,591: Haud ulli contra fiducia surgere vento.

Quibus exemplis addo Verg. Aen. 10,276. Pl. Pan. 70.

furor (Draeg.?): [4])

Valer. 2,313: Non illis obvia tela
Ferre nec infestos deerat furor improbus ignes.
4,562*: Furor his medio concurrere campo.

Eadem struct. occurrit hisce locis: Tib. 1,10,33. Ov. A.A. 3,172.|Am. 3,14,7. Luc. 1,8 (v.p. 19). Stat. Theb. 8,596. Plin. N. H. 2,1,1. Mart. 2,80. Just. 18,3.

gloria (Draeg.?): [5])

Luc. 4,479: Nec gloria leti
Inferior, juvenes, admoto occurrere ferro.

Praeter allata exempla (v. p. 19) mihi praesto sunt haec: Tib. 1,6,4. Prop. 4,8,9. Mart. 12,36. Claud. 1,275.

---

[1]) Haec est vulgata scriptura; codd. exhibent „circumfundi". Codicum scripturam secutus Draegerus pg. 401 hoc loco Acc. c. Inf. occurrere putat, quod comprobare nequeo quum saepius in latino sermone passiva forma illius verbi accusativum objecti recipiat; e. g. laudo: Curt. 7,5,9: „Anxium regem circumfusi amici." Apul. Met. 3,8 „Utraeque quatientes, quae circumfusae lectulum." 8,29 „Circumfusi nudatum supinatumque juvenem."

[2]) Cf. Ov. Met. 2,767 fas habeo. Pont. 4,11,8 nefas habeo c. J.

[3]) Quint. 7,2,30 falsa obiciendi. 7 prol. 3. praestandi. Flor. 3,3,6 urbis capiendae.

[4]) Sil. 1,32 bellandi f. 2,234 decoris. 3,146 laudum.

[5]) „Gl. fortitudinis" Caes., „rerum gestarum" Cic., „dicendi" Quint. 12,10,17.

labor: [1])

Luc. 3,478: Nec Grajis flectere jactum
Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum. 5,654.

Sil. 2,638*: Dulcisque labor sua nomina natis
Reddere. 4,706*. 7,236. 14,3.

Dr. falso de h. struct. p. 346 contendit: „negotium, industria, labor est c. Inf. fehlen noch in vorklassischer Zeit; klassisch ist nur das erste.“ Legimus enim ap. Plaut. Rud. 190 „labori est c. Inf.“ et ap. Cic. Brut. 57,209 „Labor multo major est totam causam quam partem dicere.“ Ceterum Draegeri exemplis haec adjungo: Verg. G. 3,182. 4,106. Aen. 1,76. Cat. 45,13. Prop. 1,1,19. Ov. Her. 12,49. R. A. 234. Plin. N. H. 26,11,72. Plin. Pan. 26. Stat. (v. Lohr).

libertas: [2])

Val. 1,601*: Nec mihi libertas imis freta tollere harenis.

De hoc usu Dr. nihil disputat; quocirca addo: Prop. 1,1,28. 4,14,4.

libido: [3])

Sil. 7,427*: Cur scire futura libido?

De hac structura cf. Dr. p. 343, Holtz. II,29., Brix. ad Pl. Trin. 626. Exemplis Dr. addo: Sall. Jug. 3,4: „Nisi forte quem perniciosa libido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.“ Ov. Am. 2,7,19. Auson. Ep. 24,58.

locus: [4])

Val. 4,451*: Fallere quas (Harpyias) nusquam misero locus.

---

[1]) L. belli Luc. 7,93 = Val. 5,133 = Sil. 4,705 = Verg. Aen. 11,126. Luc. 6,492 sequendi. Quint.: dictitandi, ediscendi, salutandi, scribendi.

[2]) Luc. 9,558 = Ov. Met. 9,559 loquendi. Quint. circumspiciendi, eloquendi, enumerandi.

[3]) Cic. Tusc. 3,5,11 l. ulciscendi. Sall. Jug. 84 eundi. Sil. 11,598 armorum.

[4]) L. 4,782 = 7,494 l. arma movendi. Sil. 4,553 cadendi. 13,187 hortandi — monendi. Curt. 4,14,7 fugae.

Dr. falso igitur p. 344: „occasio [1]) und locus c. J. sind vorklassisch."

mens:

Val. 1,198*: Nec mihi jungere montes
Mens [tamen] aut summo deposcere fulmen Olympo.

Frustra hoc loco ut mihi quidem videtur vocula „tamen" offenditur Baehrens., qui pro ea proponit „avet". Neque enim sensus loci illo „tamen" infringitur et locutio „mens est" Infm. recipiens aliis quoque locis Valerianis occurrit, ut

3,255*: Nec terga ruentum Mens Minyis conversa sequi.

Dureau de la Mall. sane in adnot. ad h. locum putat conjungenda esse verba „mens" et „conversa", quae tamen constructio ut nimis quaesita improbanda videtur. Tertius locus ubi idem usus invenitur est

2,61: Atque adeo non illa sequi mihi sidera [monstrant].

Hanc script. codicis V minime genuina poëtae verba praebere satis inter omnes carminis Valeriani interpretes constat. Rectam sanandi viam mihi inisse videntur Heinsius et Baehrensius, qui emendaverunt „mens stat", quod ego quidem comprobo nisi quod locis supra laudatis adductus legere malim „m. est".

Ceterum hic usus a Dr. non commemoratur. Quapropter addo: Ov. Her. 2,133. Tib. 4,3,7. Phaedr. 3 prol. 49. Similiter Petron. 21: „In mente mihi est dormire."

mos (cf. p. 20 sq.): [2])

Val. 6,125: Magnanimis mos ductus avis haut segnia mortis
Jura pati dextra sed carae occumbere prolis Ense dato.

potestas:

Luc. 2,40*: Nunc flere potestas.

8,630*: Sum tamen, o superi, felix nullique potestas
Hoc (felicem esse sc.) auferre deo.

Val. 4,19*: Nulla deum superare potestas.

Sil. 11,187*: Vita non aequa exire potestas.

---

[1]) Suet. Caes. 73: „Occasione oblata simultates deponere."

[2]) Luc. 10,126 mos est Phariis miscendi licia telis. Quint.: agendi, differendi, loquendi, paciscendi, sequendi. Cic. ad Fam. 13,17 rogandi.

Dr. p. 345 contendit: „zuerst bei Verg., einmal bei Liv. und noch bei Luc. und Stat.“ Quae sententia et l. l. et hisce refellitur: Sall. Cat. 29,3: Potestas magistratui permittitur, exercitum parare, bellum gerere cet. (Verg. Aen. 3,670. 9,813. 7,591.) Plin. Pan. 61. Petron. 34. Gell. 2,24,11. Aus. Eph. 64: „Bene posse adsit tranquilla p.“

pudor (cf. Dr. 347 et p. 23 hjs. op.): [1])

Sil. 4,329: Trepidaque a mente recedit
Vertere terga pudor.

robur: [2])

Luc. 7,669: Nec deerat robur in enses Ire duci.

Aliud hujus struct. a Dr. omissae exemplum non inveni.

sollertia (Draeg.?): [3])

Sil. 13,501: Nec enim conquirere dicta
Aut servare fuit proavis sollertia vestris.

spes: [4])

Val. 2,381*: Dum spes mihi sistere montes
Cyaneos vigilemque alium spoliare draconem.

Sil. 13,349*: Nec sp. obsessis ultra reserata tueri
Moenia. 16,298.

Quum Dr. p. 369 et 404 tantum exempla afferat ubi occurrit Acc. c. J. ego addo: Verg. Aen. 5,183. Grat. Cyn. 372. Stat. (7 locis, v. L.)

studium: [5])

Val. 1,836*: Cui (imperatori) studium mortales pellere curas.

Sil. 6,352:* His intortos aptare rudentes
His studium erecto componere carbasa malo.

---

[1]) Luc. 7,526 timendi. Hirt. B. G. 28 cedendi. Quint. 12 pr. 1: omittendi.

[2]) Robur dicendi. Quint. 8 pr. 3.

[3]) S. „agendi cogitandique“ Cic. Off. 1,44,14 „cogitandi“. id. Oph. gen. 4,11.

[4]) Luc. 4,797 fugae sp. 10,191 videndi = Val. 5,551. Sil. 8,355 certandi.

[5]) Lucil. 971 st. spectandi. Cic.: discendi, fallendi, videndi, al.

16,297: Quîs vincere planta
Spes est et studium jaculis impellere ventos.

Primum hujus struct. exemplum praebet Ter. Hec. 202.— Dr. p. 348 falso contendit: „studium c. J. findet man schon bei Verg.“ Exemplis ejus addo: Verg. Aen. 2,195. Prop. 1,2,23. Gell. 13,2,1. Ap. Met. 11,26,810.

tempus:[1]

Luc. 7,462*: Tempus agnoscere posse
Facturi quae monstra forent.

Val. 4,447*: Nec mihi diversis erratum casibus orbem
Amissas aut flere domos aut dulcia tempus
Lumina. 6,176.

Sil. 11,164*: Nunc tempus inire
Proelia pro Rutulis nunc signa aciemque movere.
13,807*. 16,427. 17,356.

Hjs. constr. binis tantum exemplis Plaut. (p. 343) et Cic. (p. 344) laudatis, adnotat Dr.: „ebenso bei Dichtern, Liv. und Spaeteren“. Quapropter addo: Pl. Mil. 1218. Ter. Hec. 597. 842. Att. fr. 291. Lucil. 1. Cornif. 3,8,15. Sall. Jug. 89. Nep. 17,3. Cat. 62,3. Hor. Od. 1,37,4. Ep. 2,2,215. Prop. 2,5,9. 3,10,1. Curt. 7,2,26. Stat. (v. L.) Just. 1,1,3. Claud. 5,311.

vigor (Draeg.?):[2]

Sil. 5,270*: Nullique aspirare vigor.

virtus (Draeg.?):[3]

Luc. 4,576*: Nec cuiquam virtus propiora capessere bella.

Sil. 9,611: Percipient gentes quam sit non ardua virtus
Servitium fugisse manu.

Addenda sunt haec exempla: Verg. Aen. 10,712. Paneg. in Pis. 98. Quint. 1,10,1. 128. 8,3,41. 62. 6,52. virtutis est: 2,20,5. 6,5,11.

---

[1]) Luc. 4,479 quaerendae mortis. 5,409 rapiendi belli. Val. 3,488 nocendi. 4,627 timendi. 5,388 fandi. Sil. 11,386 premendi — domandi. 13,774 gerendi.

[2]) Sil. 13,268 v. poscendi.

[3]) Sil. 13,183 audendi. Quint.: dicendi, narrandi, ornandi, al.

III. De inff. ex adjectivis et participiis pendentibus.

Hac in parte opusculi mei, accuratissime quum de universo hoc usu disputaverit Küblerus,[1]) satis habeo singula adjectiva vel participia adjectivorum munere fungentia per literarum ordinem enumerare simulque de aetate cujusque constr. pauca disserere. Hoc quoque loco dispositionem qua supra usus sum servabo adeo ut disputem de Inff. adjectiva et participia ita excipientibus ut sint numero

A. genetivorum. C. accusativorum finalium.
B. dativorum. D. ablativorum.

A.

acer (cf. Kübl. p. 15):[2])

Sil. 3,338: Cydnus agit juga Pyrenes venatibus acer
Metiri jaculove extendere proelia Mauro.

audax (K. p. 11 et 15):[3])

Luc. 7,246: Casus audax sperare secundos
Mens stetit in dubio.

Sil. 1,409: (Hiempsal) audax in fluctu laceras captare carinas. 3,320.

avidus:[4])

Luc. 6,167: Avidi spectare sequuntur. 696. 7,843. 9,1002.

Sil. 8,617: Ignoscet quamvis avido committere pugnam Varroni. 16,177.

De hac constr. cf K. p. 17. Exemplis ejus addo: Claud. 19,140. 21,144. 35,223.

---

[1]) De Inf. ap. Romanorum poetas a nominibus adjectivis apto. Berlin, Progr. des Wilhelms-Gymnasiums 1861.

[2]) Infin. ex adjectivo „acer" aptum genetivi vices tenere apparet ex hisce locis: belli Vell. 1,3,1. militiae Tac. Hist. 2,5.

[3]) Au. ingenii Stat. Silv. 3,2,64. 5,3,135. animi Theb. 10,495. Sil. 14,416.

[4]) Val. 4,297 viri. Sil. 1,56 motus. 7,64 pugnae. 7,69 leti. Sall. J. 15 potentiae, honoris, divitiarum.

certus:

De verbo „certus“ Kübl. p. 22 recte exponit: „certus aut eum significat qui facere aliquid animo constituit aut eum qui in perficiendo consilia neque ipse fallitur neque spes frustratur aliorum; subjecto igitur Inf. aut quid efficere constituerit aliquis dicitur aut ita definitur vocis notio ut in qua re conspicua sit perficiendi firmitas illa et constantia indicetur.“ Quorum generum illud sic recipere Inf^{os}. arbitror ut sint numero genetivorum,[1]) hoc Inf^{os}. ablativorum[2]) loco positos. Ad illum igitur genus spectant hi loci:

Val. 2,457: Acrius hoc instare viri succurrere certi 4,47. 8,316.

Sil. 1,268: Rumpere foedera certus. 4,448: Stabat fortunae non cedere certus. 12,624: Non cedere certi.

De hoc usu cf. K. p. 17. Exemplis ejus addo: Ov. Her. 4,152. 15,99. Met. 9,43. 10,394. Tac. Ann. 4,57. Ap. Met. 10,28,730. Claud. 22,225.

cupidus:

Luc. 2,169: Fratris ora cupidus vetitis imponere flammis. 7,266.

Exemplis K^{i}. p. 11 et 16 allatis adjungo: [Tib.] 4,1,35. Stat. (v. L.). Apul. Met. 6,1,382.

damnatus(Kübl.?):[3])

Sil. 10,655: Damnatis terga vertisse (Impositum est meritare.)

docilis, indocilis:[4])

Luc. 1,325: Bella parat suetus nefandi civilibus armis Et docilis Sullam sceleris vicisse magistrum.

5,539: Indocilis privata loqui.

---

[1]) Cf. certus necis Sil. 6,27. 4,197. 8,57. eundi Verg. Aen. 554,4. fugae Plin. 6,16,12. relinquendae vitae Tac. Ann. 4,34.

[2]) Cf. Val. 1,366 certus jaculis.

[3]) Sil. 6,191 damnandus facti. 13,879 d. doli.

[4]) Hor. Od. 4,4,44 d. modorum A. P. 380: pilae discire trochire. Sil. 3,233 fallendi. 16,360 freni.

Val. 6,236: Docilis relegi docilisque relinqui
Atque iterum medio non altior ire per hostes.
Sil. 1,150: Nec nota docilis poena satiare furores.
4,9. 272. 393 (J. Perf.). 16,551.
13,309: Et laeta et tristia ferre Indociles. 15,567.

Exemplis K[1]. (p. 9) addo: Pl. N. H. 14 prf. „Indociles arbores nasci.“ Claud. 33,69. 35,31.

doctus: [1])

Luc. 1,601: Doctus volucres augur servare sinistras.
2,185. 5,382. 9,295.
Val. 6,132: D. et Anchates patulo vaga vincula gyro
Spargere et extremas laqueis adducere turmas.
Sil. 1,412: Nec non serpentem diro exarmare veneno
Doctus Athyr tactuque graves sopire chelydros
Ac dubiam admoto sobolem explorare ceraste.

Primum haec structura occurrit duobis locis Lucretianis, quos K. non commemoravit: 4,579 „Verba repulsantes iterabant docta referri (cf. Lachm. ad h. l.).“ 5,961: „Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.“

Praeterea haec a K. non laudata exempla hujus usus mihi praesto sunt: Ov. Met. 5,5. Pers. 5,15. Cl. 3,105. (cf. 18,47 edoctus).

durus (K. p. 22): [2])

Val. 3,647: Semper inversa tueri Durus. Claud. 17,241.

eximius (K. p. 13.): [3])

Luc. 3,697: Eximius Phoceus animam servare sub undis
Scrutarique fretum siquid misisset arenis
Et nimis affixos unci convellere morsus.

felix (K. p. 22.): [4])

Sil. 11,441: Chelys (Amphionis) lapidem testudine f.
Ducere et in muros posuisse volentia saxa.

---

[1]) Verg. Aen. 10,225 d. fandi. Sil. 3,393 virga. 6,356 pelagi. Gell. 13,12,1. legum—morum—juris.

[2]) Cf. Ov. Am. 2,9,30 durus oris.

[3]) Stat. Silv. 26,97: animi eximius.

[4]) F. nemorum Sil. 1,395. necis 2,570. famae 4,731. Stat. S. 4,4,46 curarum.

13,126: Haec, aevi vitaeque tenax felixque senectam
Mille indefessos viridem duxisse per annos.

ferox (K. p. 15): [1])

Sil. 11,8: Odium renovare f. in tempore Samnis.

immemor: [2])

Val. 6,241: Immemores mori.

De h. usu cf. K. pg. 18. Addendus est locus Plaut., ubi tamen adjectivo copula „est" adjuncta occurrit: Pseud. 1104: „Nihilist autem qui suum officium facere est immemor nisi si admonitust." Quibus cum exemplis cf. Suet. Calig. 57 „Immemor Chaereum Cassium nominari."

improvidus (K. p. 16): [3])

Sil. 4,284 (Hasta): Nimio jactu servasse improvida campi
Distantis spatium propiorem transvolat hostem.

inconsultus (K. p. 16): [4])

Sil. 8,544: Imprimis Capua, heu, rebus servare serenis
Inconsulta modum.

ingens (K. p. 13): [5])

Sil. 10,215: Ingens ferre mala et fortunae subdere colla.

laetus (K. p. 17): [6])

Sil. 3,575: Laetus domare labores. 6,482. 8,615. 9,223. 453. 16,574.

---

[1]) Tac. Hist. 1,35 linguae f. Ann. 4,12 „ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus esse, ferox scelerum volutare" cet.; f. mentis Ov. Met. 8,614.

[2]) Immemor irae Val. 3,27. pugnae 6,289.

[3]) Impr. c. gen. ger.: Liv. Plin. Tac. Liv. 26,39,7 futuri. Plin. 26,3,3 mali. Tac. Hist. 3,56 consilii.

[4]) Cf. Cic. Phil. 9,5,10: juris — sapientiae consultus. Nep. Cat. 3,1. Hor. A. P. 369 juris. Liv. 10,22 juris atque eloquentiae.

[5]) Sall. Hist. 3,13. i. animi et rerum. Tac. Ann. 1.69 animi Hist. 4,66 rerum.

[6]) L. laborum Verg. Aen. 11,73. Sil. 15,572. opum et pacis Val. 3,659. incepti Sil. 7,338. opum 13,33. rectoris 8,548. cf. 14,279. 15,569. 17,307.

lentus (K. p. 11 et 15): [1])

Luc. [10,398]: Non [lentus] [2]) Achillas
Suadenti parere nefas.

Sil. 5,18: Agylle Flore capi juvenum primaevo lubrica mentem Nympha nec Italia lenta incaluisse sagitta.

levis (K. p. 15): [3])

Sil. 3,40: Levior vinci Libycae telluris alumnis.

4,449: Levior discurrere Maurus. 10,604. 16,487.

melior: [4])

Luc. 8,381: Melior cessisse loco quam pellere miles.

482: M. suadere malis et nosse tyrannos.

Val. 1,424: Ora Thessalico melior contendere freno.

Sil. 1,681: (Fabius) melior clauso bellum producere ferro.

16,359: Docilis freni et melior parere Pelorus.

Addendi sunt duo loci quos K. in disputatione de hoc usu (p. 13) omisit: Stat. Theb. 6,828 et Claud. 10,314.

nescius: [5])

Luc. 1,17: Bruma nescia vere remitti. 1,144.

Sil. 2,653: Miserescere nescius hostis. 3,548. 4,83. 713. 10,215. 491.

De hoc usu K. disputat pg. 11—13. 15. 16. Exemplis ejus adjungo: Ovid. Her. 12,49. Pont. 2,9,45. Claud. 8,529.

notus: [6])

Sil. 12,330: Delius avertet propiora pericula vates
Trojanos notus semper minuisse labores,

praecedentibus: Manil. 1,31 (v. Kuebl. p. 19) et Germ. Ar. 375.; cf. Prop. 2,3,52 „cognitus surripuisse.“

---

[1]) Sil. 3,176 dum lentus coepti terra cunctaris Ibera.

[2]) Sic versus legitur in veteribus editt.; codd. exhibent „segnis“.

[3]) L. opum Sil. 2,102. dextrae 4,502.

[4]) M. fati Sil. 5,533. dextrae 7,619. furandi Tac. Ann. 3,74.

[5]) Verg. Aen. 10,551 fati sortisque futuri. n. Ov. Met. 9,108. vadorum. Val. 1,515 rerum. 6,491 mali. Tac. Ann. 3,1 tolerandi.

[6]) Hor. Od. 2,2,6 n. animi paterni. Sil. 17,148 fugarum. Stat. Theb. 2,274 noti operum Telchines.

parcus (K. p. 22): [1])

Sil. 1,679: At Fabius cauta speculator mente futuri
Nec laetus dubiis parcusque lacessere Martem.

8,462: Haud parci Martem coluisse Tudertes.

patiens (K. p. 17): [2])

Luc. 3,376: Patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes. 8,637.

Sil. 2,382: Non ultra p. Fabius rexisse dolorem
Concilium exposcit.

impatiens: [3])

Luc. 8,578: Hoc magis impatiens, egresso deesse marito. (h. l. Inf. propter antecedens pronomen h o c, cui appositionis instar additus est, pro accusativo accipiendus videtur). 9,371.

Sil. 4,605: Inhonoratam Fibrenus perdere mortem
Et famae undam i. — inquit. 6,230. 254. 11,98.

K[1]. exemplis p. 17 laudatis adjungendus est: Claud. 5,253 „i. remeare leo.“

pavidus (K. p. 17): [4])

Sil. 1,406: Carthalo non pavidus fetas mulcere leaenas.

potens; [5])

Sil. 11,504: Pax custodire salutem
Et cives revocare potens revocetur in arces.

Exemplis K[1]. (p. 12) addo: Ap. Met. 1,8. Ulp. Dig. 16,2,10.

primus, postremus:

Sil. 1,160: Primus inire manu, postremus ponere Martem.

---

[1]) P. donandi Hor. Sat. 2,5,79. somni Luc. 9,590. fugae Sil. 10,30. cruoris 3,577.

[2]) P. navium Liv. 21,31,10. vomeris Verg. G. 2,223. Sil. 3,575 ferri. 10,242 teli. Val. 1,765 coeli.

[3]) J. laborum Ov. Trist. 5,2,4. Val. 1,296 somni. 3,613. 8,303 morae = Sil. 8,4. aevi Sil. 1,227.

[4]) Luc. 8,811 pav. maris. Tac. Ann. 4,38 offensionum. 4,14 nandi. cf. Sil. 7,128 imp. somni.

[5]) Liv. 24,2 regni. 8,39 pugnae fugaeque .cf. 35,11 regendi impotentes. Val. 3,48 potens belli. 6,680 incepti. Quint. 12,11,10 efficiendi

1,242: Primus sumpsisse laborem,
Primus iter carpsisse pedespartemque subire cet.
9,12: Ante omnes invadere bella
Mancinus gaudens hostilique unguere primus
Tela cruore cadit.

Similes[1]) structurae occurrunt apud Verg.: Georg. 4,134:
„Primus vere rosam atque autumno carpere poma“
et ibid. 140.
„Primus abundare et spumantia cogere pressis
Mella favis.“

In disputatione de hisce locis Kraus. (p. 32) adnotat: „Nos quidem solemnem Infinitivi historici structuram malumus intellegi quam imitationem Graecorum“. Quam sententiam ne comprobemus monet secundum hujus usus exemplum (1,242, a Kr. sane non laudatum), quum nusquam in structura Infinitivi hist. inveniatur Inf. Perf. Tertio autem loco (9,12) compositio totius enuntiati prohibet quominus Infinitivum pro Inf. hist. accipiamus.

rudis (K. p. 16):[2])
Sil. 6,90: Nec ferre rudis medicamina (quippe
Caellebat bellis) nunc purgat vulnera lympha.
8,260: Martem rudis versare.

scitus (K. p. 16):[3])
Sil. 15,594: Belligeris sc. quondam accendere Martem
Floruerat primo clarus pugnator in aevo.
17,292: Dux vetus armorum scitusque accendere corda
Laudibus.[4])

segnis (K. p. 15):[5])
Luc. 10,[398]: Non [segnis] Achillas
Suadenti parere nefas. (v. s. „lentus“. p. 91.)

[1]) Claud. 21,65 prior c. J.

[2]) R. belli Sall. Jug. 96,1. rerum. Val. 1,823: pelagi. Sil. 4.713

[3]) Sc. vadorum Ov. Met. 9,108. lyrae Fast. 6,54. pugnandi Quint. 9,3,10.

[4]) Ter. Ht. 1,2,36. Ph 5,4,2 scitum est c. J.

[5]) S. aliorum Tac. Ann. 14,33. occasionum 16,14. operum Cl. 18,275.

sollers:[1])

Luc. 3,596: [Sollers][2]) venturis componere carbasa ventis.

Sil. 1,79: (Hamilcar) sollers nutrire furores. 8,258. 595.

Praeter exempla quae K. p. 16 laudat mihi suppeditant haec: Ov. Am. 2,7,17. Pers. 5,37 6,24 (J. Perf.) Cl. 18,275.

tardus (K. p. 15):[3])

Sil. 2,233: Docilis fallendi et nectere tectos
Nunquam tarda dolus (Tyria pubes).

timidus (K. p. 17):[4])

Sil. 16,573: Habuit geminos insignis Aconteus
Nec timidos agitare canes latratibus aprum.

vetus (K. p. 16):[5])

Sil. 5,565: Hinc Fadum petit et veterem bellare Labicum.

victus, invictus (K. p. 13):[6])

Sil. 5,551: Viridasius ornat
Mille viros, nulli victus vel ponere castra
Vel junxisse ratem. 6,142.

3,326: Cantaber ante omnes hiemisque astusque famisque
Invictus palmamque ex omni ferre labore.

B.

bonus (K. p. 13):[7])

Val. 1,438: Tu medius gladio ire bonus per hostes.

Sil. 14,453: Bonus ille per artem
Crudo luctari pelago atque exire procellas.

---

[1]) S. Musa lyrae Hor. A. P. 407. cunctandi Fabius Sil. 7,126.

[2]) Ex conject. Jeveri pro codd. scriptura „semper".

[3]) Tardus fugae longeque resistens Val. 3,547.

[4]) Procellae Hor. A. P. 28. deorum Ov. Met. 5,100. lucis Sen. Vit. Beat. 21.

[5]) Sil. 4,530 veteres laborum. 6,16 bellandi. 6,616. 11,26. 16,201. 17,292. Tac. Ann. 6,18(12). scientiae. 6,50(44). Hist. 4,20.

[6]) Sil. 3,326: Invictus aestus, famis, hiemis.

[7]) Bonus ager oleto conserundo Cat. R. R. 6,2. pecori alendo Liv. 29,31,9. bello Verg. G. 2,447.

habilis (K. p. 14):[1])

Luc. 3,553: Grajis habiles pugnamque lacessere pinus
Et tentare fugam nec longo frangere gyro
Cursum nec tarde flectenti cedere clavo.

novus (K. p. 16):[2])

Sil. 16,331: Sunt quos spes grata fatiget
Et nova ferre jugum cervix.

suetus (K. p. 8, Draeg. p. 234):[3])

Val. 1,343: Tales ego ducere suetus Atque sequi.

Sil. 6,219: Portat suetam movere hastam. 13.388. 589. 14,32.

Obiter tantum de hoc usu K. p. 8 disputat. Itaque laudo: Lucr. 2,448 „Ictus contemnere suetus". [903]. Sall. Hist. 1,9 (=Tac. Ag. 12). Liv. 5,43. Verg. Aen. 3,541. 5,402. (cf. „suesco" p. 67.)

assuetus (K. et Dr. l. l.):[4])

Luc. 2,32: Votis vocari
Assuetas crebris feriunt ululatibus aures. Val. 3,23. 5,692. 6,531. Sil. 2,94. 4.684. 5,582. 7,461. 8,522. 12,584. 16,685. 17,65.

consuetus:[5])

Luc. 3.199: Strymon committere Nilo Bistonias aves.

Sil. 17,637: Baetisque lavare
Solis equos dulci fluminis unda.

Dr. p. 335 contendit: „nur das ist zu merken, dass das Part. consuetus c. J. unklassisch ist, jedoch nicht nur bei

---

[1]) Vell. 2,1103 pedites armis habiles. Sil. 11,588 nondum portandis habiles gravioribus armis, Cic. Oecon. fr. 4. omnibus rebus Suet. publico muneri.

[2]) Novus dolori Sil. 6,254. delictis Tac. Ag. 16.

[3]) Luc. 1,325 civilibus armis. Tac. Ann. 1,31 lasciviae. 2,44 militiae. 52 latrociniis.

[4]) Verg. Aen. 7,490 mensae herili = Val. 7,124. Liv. 10,17,10 praedae. Val. 8,201 plaustris.

[5]) C. dolori Plin. Ep. 8,23,8.

Pacuv. und Lucr., sondern auch bei schlechtern Scribenten der klassischen Periode erscheint". Quapropter laudo: Varr. R. R. 2,9: „Eo consueti cibo uti".

sufficiens: [1])

Luc. 5,153: Nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatium.

Sil. 14,603: Lumina ferre gravem vix sufficientia lucem
Unca nare jacent.

De hoc usu quum K. nihil disputaverit cfs. quae supra (p. 67) disputavi.

C.

Huc referendi videntur Inff. qui ita ex adjectivis apti sunt ut nominis substantivi cum praepositione conjuncti vel supini secundi vices sustineant.

asper (cf. K. p. 22):

Sil. 3,385: Hinc venit in arma
Haud aevi fragilis sonipes crudoque vigore
Asper frena pati aut jussis pavere magistri.

decorus:

Luc. 1,164: Cultus gestare decoros
Vix nuribus rapuere mares.

Rectam de hoc loco sententiam K. p. 23 explicuisse videtur; cf. Cic. N. D. 2,60,151: „Nos aeris, argenti, auri venas invenimus et ad usum aptas et ad ornatum decoras".

facilis, (difficilis: Luc. 1,500):[2])

Luc. 1,500: O faciles dare summa deos eademque
Tueri Difficiles. 2,460. 3,383. 6,20. (J. Pass.:) 2,656.

Val. 5,722: Boreae cedens glacialibus auris
Pontus et exorta facilis concrescere bruma.

---

[1]) Luc. 2,88 fato. 4,676 spatio.

[2]) Verg Aen. 3,621 f. visu. Luc. 2,314 ad juga. Sil. 12,560 ad requiem. Diff. ad judicandum explicandum Cic., ad fidem Liv.

Sil. 1,225: Prodiga gens animae et properare facillima mortem. 4,753 (J. Perf.). 6,36. 7,199 (J. Pf.). 8,58 (J. Pf.). 11,6. 14,83. 101. 15,315. 495. 17,323. Inf. Pass: 11,284. 12,163. 14,230. 279.

De hoc usu cf. K. pg. 21 sq. Exemplis ejus addo: (facilis:) Phaedr. 1,19. 2,4. Tac. Hist. 4,39. Gell. 17,19,14. Claud. 3,318. 8,515. 10,79. 17,243. 18,363. 20,277. 22,450. 101,111. (difficilis:) Germ. Ar. 257. Val. Max. 4,6 pr. Cl. 18,426.

genitus: [1])

Luc. 6,485: Omne potens anima leti genitumque nocere.

Haec struct. a K. non commemoratur. Similiter invenimus „natus" c. Inf. Hor. Ep. 1,2,27 consumere nati. Ov. Am. 2,17,12. Met. 15,20. Nuc. 113.

lubricus (K. p. 22):

Sil. 5,18: Flore capi juvenum primaevo lubrica mentem Nympha.

oppositus (Kuebl.?) [2]):

Luc. 1,463: Vos crinigeros bellis arcere Caycos Oppositi.

paratus: [3])

Luc. 1,351: Detrahimus dominos urbi servire paratae. 3,109. 349. 5,90. 6,93. 596. 9,194. (J. Perf.:) 3,349. 10,150.

Val. 2,222 (cf. Schmitz. l. l. pg. 25): Conferre manus paratae (mulieres).

---

[1]) Cf. Cic. Fin. 1,7,23: ad majora nos deus genuit. natus: ad eloquentiam, pugnam Tac. Dial. 5. 10. ad arma Hist. 4,64.

[2]) Infinitivum hoc loco pro Inf. finem designante (adeo ut sensus sit „oppositi estis ut arceatis") accipiendum esse docent hi loci: Luc. 1,221 „primus in obliquum sonipes opponitur amnem Excepturus aquas" et 2,621 „opposuit natura mari montes — Ut tremulo starent contentae fune carinae."

[3]) Paratus ad alqd: Cic. Caes. Liv. saepissime Luc. 3,479 parati tormenti ad tela longinqua mutare modum. 4,536 ad summa. Val. 6,756 in quodcunque.

Apud Sil.[1]) exemplum hujus usus non inveni. Exemplis a Kueblero pg. 8 sq. allatis adjungo: Pers. 1,132. 6,35. Claud. 22,226. cf. Enn. Ann. 258 et Cic. pro Quint. 2,8. Off. 1,24,84. Sall. Cat. 20,17. Jug. 46,5 paratus sum c. Inf.)

promptus (K. p. 17):[2])

Luc. 7,105: Fortissimus ille Qui promptus metuenda pati.

Similiter Ov. Her. 13,120: „Promptior est dulci lingua referre mora."

pugnax (K. p. 15):

Sil. 3,362: Movet Arbacus arma
Aclyde vel tenui pugnax instare veruto.

spatiosus (K. p. 14):

Sil. 8,481: (Luna) insignis portu quo non spatiosior alter
Innumeras cepisse rates et claudere portum.

vilis (K. p. 14):

Sil. 8,436: Stat fucare colos nec Sidone vilior Ancon
Murice nec Libyco.

D.

celeber (K. p. 19): [3])

Sil. 11,73: Torquatus avum fronte aequavisse serena.
Nobilis et celeber.

14,196: Cantane nimium ardenti vicina Typhoeo
Et generasse pios quondam celeberrima fratres.

certus (cf. p. 88): [4])

Luc. 3,556: At Romana ratis stabilem praebere carinam
Certior.

---

[1]) Locum Silianum quem K. p. 9 adnot. 1 laudat (10,49 sc.) huc non pertinere apparet, quum ibi legamus „paras" non „paratus".

[2]) Luc. 5,230 promptum ad vulnera pectus. Tac. Ann. 4,46 ad mortem. 16,14 ad caedes. 4,47 ad pericula. 15,25 in pavorem. Hist. 4,76 in arma.

[3]) C. fama Ov. Met. 3,339. ingenio 8,159. Tac. Agr. 1. triumpis Tib. 2,1,33.

[4]) Val. 1,366. c. jaculis Liv. 10,30 hostis spe et animo certior.

Val. 1,436: Certus sagittas cogere.
191: Non illo certior alter
Pinguia letifera perfringere colla bipenni.
Sil. 15,490: Majora petuntur
Rursus bella retro et superari certior hostis.

Eodem modo explicandus est locus Claud. a K°. in disputatione de hoc usu (p. 17) omissus: 11,2 „(Princeps) Parthis sagittas tendere certior."

contentus:

Luc. 3,264: Inter Caesareas acies diversaque signa
Pugnaces dubium Parthi tenuere furorem
Contenti fecisse duos. 466. 534 (Inf. Pf.). 4,444 (J. Pf.). 5,627 (J. Pass). 6,32. 616. 7,182. 9,721. 1102.

Val. 8,453: Hoc visu contenta mori.

Sil. 3,304: Contenti parca durasse hastilia flamma. 15,91. 17,210 (J. Perf.).

Hjs. constr. a K°. mentio non fit, quapropter laudo: Pers. 5,138. Vell. 2,49. 103. 112. Curt. 4,10,14. 8,1,38. Plin. 6,31,5. Pan. 15. 38. Tac. D. 23. Quint. 1,4,23. 5,17. 2,6,1. saep. Flor. 2,8,8. 3,4,1. 6,5. 20,3. 4,12,47.

dignus, indignus:

Val. 2,421: (Accipe) dona nunc digna tuis adjungier armis.

Sil. 11,363: Dignus fieri compos memorabilis ausi. 16,487.

(Luc. 9,55: Ergo indigna fui — marito
Accendisse rogum gelidosque effusa per artus — —
Incubuisse viro, laceros exurere crines.)

Sil. 2,111: Indignum sagittae — tam certae occurrere Lyxum Fuderat. 11,12 (J. Perf.)

De his constr. cf. K. pgg. 10. 11. 18. Exemplis ejus addo: Liv. 8,26. Verg. Cat. 11,8.16. Ov. (A. A. 1,670 perdere dignus erit. Met. 14,30 dignus eras rogari.). Her. 6,43. R. A. 38. Trist. 3,4,34. Stat. (v. L.). Eleg. in Maecen. 4. Quint. 10,1,96. Ap. Met. 1,8,37. 9,16,624. Cl. 19,63. 35,283. 312. indignus: Ov. A. A. 1,681.

dirus (K. p. 15): [1])

Sil. 4,284: Contorquet nodis et obusto robore diram
Vel portas quassare trabem.

foedus, horridus: [2])

Luc. 3,347: Ceres tunc horrida cerni
Foedaque contingi maculato corpore morso.

Accurate de hac similibusque structuris K. p. 23 disputat. Eadem constr. occurrit ap. Senecam (Qu. Nat. 3,19) „Turba horrida aspici," quacum cfs. „Terribilis videri" C. Priap. 56,4.

impar (= minor): [3])

Luc. 9,190: Multum majoribus impar Nosse modum juris.

Alterum hjs. constr. a K. praetermissae exemplum praebet Grat. Cyn. 61 „Magnum opus et tangi nisi cura vincitur impar."

insignis (K. p. 13): [4])

Sil. 16,561: Glagus insignis ventos anteire lacerto.

mirabilis (Kuebl.?):

Sil. 13,166: Hic mirabilis arcu
Ille hastam quatere ac medicatae cuspidis ictu
Proelia moliri et nudo non credere ferro.

minor (K. p. 13): [5])

Sil. 5,76: Fatis Superi certasse minores.

---

[1]) Dirus magico terrore Val. 6,151. ore Tac H. 4,62.

[2]) Foeda situ macies Luc. 6,516. foedus libidine et avaritia Tac. Hist. 1,7. facinoribus Ann. 16,13. horridus vultu Germ. Arat 198. cf. Hor. S. 1,8,26 horrendus aspectu.

[3]) Impar c. ablat respect. conjunctum hisce locis inveni: Liv. 27,1,2 consilio et viribus. 22,15,9 omni parte virium. Ov. Met. 5,610 viribus. Fast. 4,306 nobilitate. Luc. 2,607 viribus. Tac. Hist. 4,2 numero.

[4]) J. titulis Luc. 8,73. cantu Val. 3,158. portu Sil. 8,481. dedecore Tac. Ann. 3,65. studio—contumeliis Hist. 2,48. consilio, manu, voce Hist. 3.17.

[5]) Minor duobus locis c. accus. respect. conjungitur: Val. 1,582 nec scopulos (cod. M, scopulis VP) aut antra minor juxta altera tellus et Sil. 3,42 (loco permultis mendis inquinato): „frontemque minor nunc amnis Acarnan." Sed quum plerique ejusdem aetatis poetae „minor" cum ablativo respect. conjungere ament, ut Ov. M. 7,499 minor aetate Hor. Ep. 2,1,183 virtute et honore minores (Cic. minor natu), nostro loco Inf. ablativi respectionis vices tenere videtur.

nobilis (K. p. 19): [1])

Sil. 11,73: Torquatus avum fronte aequavisse severa N.

pollens: [2])

Luc. 6,685: Vox Lethaeos cunctis pollentior herbis Excantare deos confundit murmura.

Sil. 14,80: Tractare sereno Imperium vulgus pollens.

Neutrius structurae K. mentionem facit.

saevus (K. p. 15): [3])

Sil. 11,7: Saevior ante alios iras servasse repostas Samnis.

sollicitus:

Sil. 7,442: Tempora sollicitus litis servasse Cupido.

De hoc usu cf. K. pag. 15. Addendus est: Apul. Met. 10,9,695.

spectatus (K. p. 13): [4])

Sil. 1,440: Daunum etiam grata quo non spectatior alter Voce movere fora atque orando fingere mentes.

superbus (K. p. 17): [5])

Sil. 3,374: Saetabis et telas Arabum sprevisse superba Et Pelusiaco filum componere lino. 12,433. 14,670.

trux (K. p. 15.): [6])

Sil. 13,220: Tifata umbrifero generatum monte Calenum Nutrierant audere trucem.

---

[1]) Ov. Met. 6,416 n. aere. Vellej. 2,25 salubritate. Luc. 3,65 arvis. Val. 1,367 ense. Sil. 1,77 ortu.

[2]) Ov. Tr. 3,10,55: sagitta — equo = Naev. ap. Macrob. 5,6. opibus Lucr. 1,61. venenis Val. 6,85. carmine Sil. 1,431. pollentior armis 14,338.

[3]) Saevior ingeniis Ov. Met. 1,126. saevus habena Baliaris Sil. 5,193. fraude 7,653. metu Suet. Dom. 3.

[4]) Ov. Met. 8,301 sp. caestibus alter, alter equo. Val. 1,100 bellis. Sil. 1,77 dextra. 151 ausis. 3,317. 6,210 Marte. Tac. Ann. 1,4 bello.

[5]) Verg. Aen. 1,24 s. bello. Cic. Leg. Agr. 2,35,95 magnitudine Val. 1,745 spoliis. 6,735 virtute = Sil. 10,573 v. et factis.

[6]) Val. 4,232 tr. fronte. Tac. Hist. 1,21 ingenio.

§ 5.

De Acc. c. Inf. qui objecti vices sustinet.

Acc. c. Inf. aptus est

I. ex verbis. II. ex adjj. et participiis.

I.

A. Accm. c. J. recipiunt verba dicendi

1) vv. quae meram dicendi notionem exhibent.

a) affirmativa.

cano:

Luc. 2,672: Talesfama canit tumidum per aequora Persen Construxisse vias.

Val. 1,27: Hunc nam fore regi
Exitio, vates — canunt. 8,397*.

Sil. 4,132: Contra laeta Bogus Tyrio canit omina regi
Et faustum accipitrem caesasque in urbe volucres
Aeneadis cladem et Veneris portendere genti.

Haec struct. a Dr. non laudatur quamquam haud ita raro occurrit. Ego quidem laudo: Cic. de Div. 2,37,78. Lucr. 2,601. Verg. Aen. 2,176. 4,190. 6,345. 7,79. 271. 8,11. 56. Tib. 1,7,3. Prop. 2,1,19. 31. 4,2,7. Liv. 1,7. 5,15. 30,28. Ov. Her. 18,137. Met. 10,152. Mart. 12,53. Tac. Ann. 14,32. Hist. 4,54. Just. 3,4. 18,5. 23,4. Claud. 18,313 (cf. 290). 20,464. 21,312.

clamo (et composs.):

Sil. 2,18: Haud dictis non esse locum strepere omnia clamat
Tyrrheno clangore tubae gemituque cadentum.

Val. 7,319†*: Ac neque (se) jam turpe cessuram semper amori Proclamat neque opem ignoto viresque daturam.

De his struct. Dr. p. 375 haec disserit: „clamo ist allgemein gebrauechlich —, seit Liv. proclamo.“ Qua in sententia acquiesco, quum antiquiorem locum quam Liv. 1,26 ubi haec constr. occurrat non invenerim. Ceterum Dr. exempla non attulit, itaque addo: (proclamo:) Val. Max. (teste Georg.): Proclamat se innocentem opprimi. Petr. 14. Just. 22,8. [1])

commurmuro:

Sil. 15,821†*: (Poenus) inferias in tempore dignas Missurum fratri clauso commurmurat ore.

Hujus usus a Dr. non laudati aliud exemplum non inveni.

fari (et composs.):

Val. 2,131: Adfore jam luxu turpique cupidine captos, Fare, viros carasque toris inducere Thressas.

Sil. 2,382: Bellum se gestare sinu pacemque profatus.

Neutra struct. a Dr. laudatur. Similiter usurpatum „praefandi“ verbum hisce locis occurrit: Liv. 21,1. 22,1. Just. 7,2. 11,5. Omnino autem fandi verbum hac quidem aetate fere non usurpatum fuisse testatur Quintil. (8,3,27): Quaedam vetera necessario interim sumuntur, ut fari.

fero (et composs.):

Luc. 4,602: (Antaeum) latuisse sub alta
Rupe ferunt epulas raptos habuisse leones.
3,417 fama ferebat.

Val. 3,629: Unum tanto affore coetu
Nec minus in sese generis dextrasque potentes
Esse ferunt. 4,735 dicta ferens.

---

[1]) Cf. acclamo: Phaedr. 5,5,34. excl.: Ter. Eun. 24. Pers. 5,103. Gell. 11,19,1. 15,18,2. Just. 43,5. recl.: Phaedr. [4,17,26]. Just. 24,2. clamito: Gell. 14,2,7. De omnibus hisce struct. ap. Dr. nihil repperi.

Sil. 8,498: Aeetem prolem Anguitiam mala gramina primam
Monstravisse ferunt tactuque domare venena
Et lunam excussisse polo stridoribus amnes
Frenantem ac silvis montes nudasse vocatis.
11,528. 12,369. 14,352. 15,436.

Luc. 1,473: Est qui — audaces ruere in certamina turmas
Afferat.

Sil. 1,456: Sed postquam a trepidis allatum fervere partem
Diversam Marte infausto Murroque secundos
Hunc superos tribuisse diem, ruit cet. 2,11.

Val. 1,753: Regemque [furor][1] per moenia **Differt**
Mille ciere manus et jam dare jussa vocatis.

Luc. 10,173*: Quid sanguine manes
Placatos **referam.**

Sil. 14,76*: Quid **referam** Aeolio regnatas nomine terras
Ventorumque domos atque addita claustra procellis.
15,82*.

De Acc. c. J. apto ex vv. affero et differo Draeg. omnino non, de structuris fero et refero c. Acc. c. J. falso disputat: „fero und refero (sc. cum Acc. c. J.) seit Livius". E ferendi enim verbo aptum Acc^m^. c. J. jam Cicero, Lucr., Catull. praebent, e. g. laudo: Cic. Tusc. 1,17,39. 5,3,8. 34,97. 35,100. 39,113. N. D. 1,5,10. 3,21,53. 56. saep. Verr. 2,4,48. 107. Har. Resp. 10,20. Lael. 7,24. 15,53. Off. 3,10,45. Rep. 2,13. Lucr. 3,42. Catull. (fama ferebat). 67,5. 68,109. 64,212. Item refero cum Acc. c. J. hisce locis, Livianis antiquioribus, occurrit: Varr. L. L. 5,32,148 (Muell.). Cic. Verr. 2,4,13. 31. ad Att. 12,8. Caes. B. G. 6,10. 8,38. Verg. Aen. 11,688. Prop. 4,8(9)39. 5,6,79. affero cum Acc. c. J. inveni hisce locis: Cic. Coel. 24. ad Fam. 5,2. saep. Nep. 1,3. Liv. 6,31. 8,17. Quint. 2,17,12. Tac. permultis locis. differo tandem sic usurpatum occurrit: Nep. 10,10.

---

[1]) Ex conj. Baehrensii, cod V: fragor.

Liv. 34,9. Suet. Caes. 31. Fortasse huc referendus est Ter. Ht. prol. 16: Nam quod rumores distulerunt malivoli multas (comoedias sc. Terentium) contaminasse Graecas — factum id esse non negat.

profiteor:

Sil. 8,265†: Ergo alacer Fabiumque morae (se) increpitare professus
Ad vulgum in patres et ovantia verba ferebat.

Haec constr. a Dr. non commemoratur. Quocirca laudo: Att. (?) (Ribb. inc. inc. fab. 52): Quam ego me profiteor esse. Cic. N. D. 1,5. Mur. 13. Verr. 2,3. Nep. 2,7. 23,11. B. Alex. 59. Vell. 2,81. 119. Phaedr. 5,5. Curt. 8,8,18. 10,2,13. 9,3. Plin. ad Traj. 4.95. Tac. Ann. 2,42. Quint. 1,10,31. 11,1,89. 12,1,21. 11,6. Just. 17,2.

jacto:[1])

Sil. 5,658: Nulli dextra jactare reliquit
Flaminium cecidisse sua. 6,516. 17,116.

Hic quoque usus a Dr. non commemoratur. Mihi quidem praeter locos laudatos praesto sunt hi: Ov. Met. 9,23. Quint. 10,1,127. 11,3,119. Curt. 8,5,8. Mart. 4,61. Tac. Ann. 2,84. 4,18. — Suet. Tib. 28. Just. 12,12. Petron. 125. Cl. 15,71. 36,59. 20,309. 26,15.

palam facio (cf. p. 35):

Luc. 7,526*: Praecipites fecere palam civilia bella
Non bene barbaris unquam commissa catervis.

Qua de constr. quum Dr. disputare neglexerit ego laudo: Cic. ad Att. 13,21: palam factum est.

sono:[2])

Sil. 4,59*: Debellata (esse) procul quaecunque vocantur
Iberis, Ingenti Tyrius numerosa per agmina ductor
Magna voce sonat.

Hac struct. a Dr. praetermissa solus noster uti videtur.

---

[1]) Conjecto: Gell. 2,10,4. 5,7,1.
[2]) Claud. 26.451 persono cum Acc. c. J.

spargo (= divulgo; Draeg.?):

Val. 1,96: At Juno Argolicas pariter Macetumque per urbes Spargit inexpertos temptare parentibus austros Aesoniden cet.

Similis struct. occurrit ap. Tac. Hist. 2,58: Spargebatur insuper Albinum insigne regis et Jubae nomen usurpare.

vulgo:

Val. 6,9: Fama vulgabat Achivas
Advenisse sui repetentes vellera Phrixi.

Sil, 3,17: Vulgatum, nec cassa fides, ab origine fani
Impositas durare trabes cet.

De h. struct. nihil Dr. disputat, quapropter exemplis allatis adjungo: Liv. 3,34,7. Ov. Met. 7,393. Curt. 4,9,2. 6,11,20. 8,11,2. 10,1,17.

b) negativa.

abnuo:

Sil. 5,27: Quum minus abnuerit noctem desisse viator
Quam coepisse diem. (cf. C. 1[b])

Falso Dr. contendit pg. 375: „abnuo wird nur aus Enn. und Liv. citirt". Nam praeter locum Sil. mihi haec exempla illius usus suppeditant:

(abnuo = infitior:) Lucr. 3,641: Aeternam sibi naturam abnuit esse. Varr. L. L. 3 pag. 148 (Willm.) Curt. 5,3,13. Quint. 5,8,3. 6,2,11. cf. Georg. lex. s. v. abnuo: „Mit Acc. c. J. non recuso, non abnuo Cic.: Scipione abnuente ullum privatim sibi cum Poeno odium esse". (abnuo = recuso:) Verg. Aen. 10,8. Curt. 6,7,7. 11,35. Sil. 14,599. (3,109*?). Claud. 29,12. 35,80.

damno (= improbo):

Sil. 11,283: Vescitur ipse silens et tantos damnat honores
Esse epulis facilesque coli tanto agmine mensas.

2) vv. dicendi c. notione demonstrandi.

a) affirmativa.

monstro:

Sil. 7,445: Monstrabat gravidam telis se ferre pharetram.
16,285: Romam nomina regum Monstravit nescire pati.

De hoc usu Dr. non disputat. Itaque laudo: Ov.A.A. 1,649. frg. de mensibus (Baeh. poet. l. min. 1,12)22. Curt. 9,8,26. Quint. 6,5,7.

ostento:

Sil. 4,41: Laetis ostentat ad urbem
Per campos superesse viam Romamque sub ictu.

Haec constr. a Dr. non commemorata testante Georg. (s. v. „ostento") primum apud Ciceronem occurrit. Praeterea laudo Tac. Ann. 12,12. 14,25. Gell. 17,2,1.

probo:

Luc. 7,629: Nimiaque probet spectantibus ira
Quem jugulat non esse patrem.

Sil. 4,43: Ac non et rerum curas consuetaque belli
Stare probat.

Dr. singulis hujus usus exemplis e Cic. et Caes. petitis adnotat: „auch mit ut". Quapropter adjungenda sunt haec exempla: Lucr. 6,34. Ov.Am. 1,1,9. Fast. 5,560. Vell. 2,47. Sen. Epp. 88. Mart. 4,85. 5,14. 12,97. Plin. Pan. 87. ad Traj. 2,2. Tac. D. 18. G. 13. Ann. 1,85. Quint. 1,6,29. 2,17,17. 3,6,83. 6,1,48. 7,1,22. 2,12. 9,2,74. Flor. 3,19,5. Claud. 99,6.

significo:

Val. 8,214: Jam nubiferam transire Carymbin
Significans.

De h. usu Dr. non disserit. Quocirca addo: Varr. S. Men. p. 209,4. Lucr. 2,127. Cic. ad Fam. 5,13,2. Rep. 2.31. 3,30. Caes. B. G. 2,13. 4,3. Bell. Alex. 45. Liv. 40,47. Phaedr. 2,8 4,10. Curt. 7,7,22. 8,1,28. 9,3,3. Plin. 7,13,1. 9,19,1. Tac. Ann. 13,15. Petr. 40.

b) negativa.

celo:

Luc. 4,519: Victurosque dei celant ut vivere possent
Felix esse mori.

Alia hujus constr. a Dr. omissa exempla praebent: Plin. 5,3,1. Sidon. Apoll. per. in Ter. Ad. 5.

[conticeo,] **sileo:**

Val. 1,99*: (Pelias) conticuit [cautes][1]) Scythico concurrere ponto Cyaneas tantoque silet possessa dracone Vellera.

Haec constr. alibi non invenitur; cfs. B. Hisp. 3: „Siles verbum facere“.

testor (=confirmo; cf. § 6. C.):

Luc. 3,307: Semper in externis populo communia vestro Massiliam bellis testatur fata tulisse ·
Comprensa est Latiis quaecunque annalibus aetas.
1,10. 3,155*. 568*. 4,544. 5,149*. 6,247. 7,91. 8,540*. 833*. 9,44. 522.

Sil. 16,585: Umbrisque dari testatur honorem.

Cic. Mur. 37,78. Div. 1,58,132. Cluent. 8,23. Rabir. 10,30. Sall. Hist. 4,61,102. Liv. 25,10,8. Nep. 2,4. Prop. 4,15(16)17. Curt. 5,13,18. Tac. Dial. 19. Ann. 2,34. 86. 12,34. 13,14. saep. Quint. 8 locis. Mart 6,83. 7,62. 14,82. Petr. 122. Cl. 18,263. 20,290. Dr. hanc struct. non commemorat.

3) vv. dicendi c. not. fingendi.

dissimulo (cf. Draeg. p. 376,3):

Val. 2,372†: Zephyrosque (se) audire vocantes Dissimulant.

facio (=fingo):

Sil. 2,315: Sed campos fac, vane, dari.

16,642†: Sed fac turbatum (Poenum sc.) convertere signa tuaeque Classis vela sequi.

(fac:) Phaedr. 4,25. Mart. 10,1. (facio:) Cat. 97,7. Claud. 9,261. 20,47. Falso igitur Dr. p. 394 contendit: „aber sonst (sc.

---

[1]) Cod. V ineptam scripturam „certis“ pro „cautes“ praebet. „Cautes“ ex Loehbachii conjectura, sensui maxime aptum videtur, quamquam a tradita lectione magis abhorret quam quod Baehrensius proposuit „certas“. Sed quum quid sibi velint Cyaneae certae ad concurrendum hoc quidem loco vix intellegi possit, in emendatione Loehbachii acquiesco.

nisi ap. Cic. et Ov.) ist diese Wendung nirgends nachgewiesen ausser bei Plin. N. H. 25,43.

fingo:[1])

Luc. 8,563: Magnoque patere Fingens regna Phari.

Val. 8,429: Finge rates alias et adhuc majora coire Agmina.

De hoc usu Dr. p. 376,3 disputat. Exemplis ejus addo: Ribb. inc. fab. 270 „Finge advenam esse“ (ubi fortasse accusat. pronominis subjectivi supplendus est.) Lucr. 1,1082. 2,175. Petron. 9. 78. 102. 141. Curt. 7,104. 9,2,9. Cl. 20,306.

mentior:

Luc. 7,447: Mentimur regnare Jovem.

Recte quidem de hac structura Dr. 376 adnotasse videtur: „mentior mit Acc. c. J. erst seit Liv.“, tamen ementiendi verbum commemorari oportuit quippe quod ita usurpatum jam ap. Cic. Planc. 30,73 occurrat.

promitto (=animo mihi fingo; Draeg.?):

Val. 5,495*: Teque alium (fore) quam quem Pelias speratque cupitque Promisi et meliora tuae mihi foedera dextrae.

B. Accm. c. Inf. recipiunt vv. sentiendi.

1) vv. quae simplicem sensuum actionem significant.

adspicio:

Luc. 3,251: Non totam mergi tamen aspicit Arcton.

Val. 1,686: Ecce autem molli zephyros descendere lapsu Adspiciunt. 5,621. 7,431.

Sil. 6,179: Adspiciunt renovare solum tellusque moveri Atque antrum ruere.

Haec struct. frequenter omnibus temporibus usurpata a Dr. non commemoratur. Quapropter l. l. adjungo: Plaut. Cas. 2,3,12. Enn. Ann. 380. Ter. Hec. 367. Att. frg. 184. Varr. S. Men. p. 208,1. Verg. Georg. 4,554. Ov. Met. 5,672.

---

[1]) Cf. Caes. B. G. 7,1: affingo cum Acc. c. Inf.

7,578. 672. 11,80. 14,61. 15,300. 554. Fast. 2,154. Tr. 3,1,55. Pont. 4,7,11. Prop. 3,28,27. Claud. 2,13. 5,59. 29,199.

prospicio:

Luc. 7,198: Aethera seu toto discordi obsistere coelo
Prospexitque polos seu numen in aethere moestum.

Sil. 2,116: Ut fatiferos converti prospicit arcus.

Verg. Aen. 4,409. 6,385. 9,33. 12,595. Ov. Met. 8,688. 14,179. Claud. 1,230. Neque de hac constr. Dr. quidquam exponit neque de Acc. c. J. excipiente verbum **suspicio** quod hisce locis occurrit: Varr. S. Men. p. 96,3. Verg. Georg. 4,58.

cerno (= conspicio):

Luc. 4 locis. Val. 6 loc. Sil. saep.

Falso Dr. pg. 363 contendit: „cernere steht nirgends mit einem Inf.-Satz". Quod et ex allatis et ex hisce exemplis satis superque apparet. Sisenn. Hist. 4 fr. 75: Hostem iter facere cernebat. Titin. fr. 90 (= audio): Puerum suspirare crevi. Att. fr. 289. 499. 676. Cic. Arat. 78. 244. Brut. 97. pro Mil. 23,61. Lucr. 1,347. 2,69. 209. 928. 3,432. 5,306. Prop. 4,3,20. Germ. Arat. 494. El. in Maec. 132. Curt. 3,11,8. 5,1,7. Plin. Pan. 61. al. loc. (cf. infra p. 111. et Kraus. p. 42).

invenio apud nostros Acc. c. J. non recipere videtur.[1])

Acc. c. J. autem non ut Dr. 364 contendit, primum ap. Caes. occurrere perspicitur hisce locis: Pl. Asin. 855. Ter. And. 863. Hc. 300. 777. 846. Lucr. 2,677. Claud. Quadr. 2,36. Cic. Ar. 269. Ceterum Dr. exemplis addo: Plin. ad Tr. 108. cf. **reperio:** Ter. Hc. 1.59. Ad. 860. Caes. B. G. 1,18, 2,4. 15. 6,35. B. C. 3,57. Nep. 1,6. Vell. 1,17. Plin. N. H. 35,5,20, Gell. 13,3,5. 20,11. Symm. Ep. 4,4 (Meyer p. 635.). — Dr. l. l. adnotat: „bei reperire nirgends (sc. Acc. c. J. occurrit)."

---

[1]) Pro Acc. c. J. occurrit a) Part. Act.: Luc. 2,239. 3,732. 5,515. 6,630. Val. 4,135. 6,421. Sil. saepissime. b) Pt. P.: Luc. 5,407. 6,280. Val. 1,239. 4,724. Sil. 1,69 saep.

speculor:

Sil. 5,378: Cedentem consul tumulo speculatus ab alto
Atque atram belli castris se condere nubem
Extemplo — invadit.

Hic usus a Dr. praetermittitur; itaque addo Vell. 2,118.

2) vv. sentiendi animi facultatem significantia.

cerno: (=intellego; cf. pag. 110.)

Val. 1,502: Quaeque vias cernunt cibi crescere Parcae.
6,429*. Sil. 11,226. 12,491. Quibus exemplis adjungo: Cic. (v. Kraus. p. 42.). Ov. Met. 5,441. 15,629. Curt. 3,13,17. 9,4,32. 10,15,12. Mart. 14,78. Tac. Hist. 4,86.

cognosco:

Sil. 15,584*: Ubi arma Avertisse suo cognovit devia vallo
Haesurum portis Poenum.

De h. struct. cf. Dr. 363. Noscendi[1]) autem verbum, de quo Dr. l. l. „die Constr. fehlt bei nosco" contendit, sic usurpatum hisce locis inveni: Ter. And. 780. Ad. 862. Varr. Vit. Pop. Rom. 1,44 (Kettner.). Cornif. 4,52,65. Lucr. 1,190. 2,685. 3,124. 158. 588. 4,127. 5,290. saep. Prop. 4,1,26. Mart. 13,2. Tac. H. 3,21, Claud. 3,321. 5,63. 50,44

disco:[2])

Luc. 2,588: Disces non esse ad bella fugaces
Qui pacem potuere pati. 3,371. 9,761.

Dr. p. 363. contendit: „diese Constr. fehlt bei disco". Quapropter addo Pl. Ps. 2,3,15: Bene consilium discimus accidisse. Fann. Ann. 1,1. (Cic., Caes., Nep. v. Kraus. p. 43.). Hor. S. 1,5,101. Phaedr. 2,2. Curt. 5,1,6. Pl. Pan. 31. 49. Tac. Hist. 1,29. Gell. 5,10,9. 13. 18,4,10. Just. 5,9. 29,4. Claud. 7,99. 410. 23,309. 26,399.

scisco (Draeg.?):

Sil. 7,544: Solem concedere nocti Sciscant imbelles.

---

[1]) Cf. Gell. 9,2,5: noscito c. Acc. c. J.

[2]) Cf. Just. 2,3: addisco cum Acc. c. J.

Haec struct. ab alio poëta vel scriptore non usurpata esse videtur. Resciscendi autem verbum recipit Acc^m. c. J. hisce locis: Ter. And. 400. Eun. 954. Hc. 208. 285. 518. Claud. Quadr. 1,16. Hor. Ep. 2,1,227. Curt. 6,7,16. Falso igitur Dr. p. 364 „rescisco nur bei Naev. Triph. 96" explicat.

3) vv. effectuum.

fleo: [1])

Luc. 2,118: Cui funera vulgi Flere vacet? vix te sparsum per viscera Baebi Innumeras inter carpentis membra coronae Discessisse manus: aut te praesage malorum Antoni.

Val. 1,633†: Haec iterant segni flentes (se) occumbere leto. (4,448*?) 7,574†.

Alia hujus usus de quo disputare Dr. omisit exempla praebent hi loci: Met. Numid. ap. Gell. 15,14,2. Hor. Od. 1,5,6. Ep. 1,17,56. Verg. Ecl. 3,78. Tib. 1,1,61. 10,56. Prop. 1,7,18. 4,8,37. Ov. Her. 1,18. Am. 1,7,16. R. A. 777. Claud. 8,377.[2])

fremo:[3])

Val. 5,523*: Sua prodita Grais Regna fremit.

Sil. 12,689: Agitare fremens obsessos otia jamque Securam Hannibalis Romam violentior instat.

Exemplis Dr^i. p. 373 de hoc usu allatis addo Tac. Ann. 13,26.

gemo:[4])

Val. 2,252: Jam maestus equos jam debita posci Dona gemit.

Sil. 2,225†: Portaque atque aggere tuto Erupisse (se) gemunt.

---

[1]) Acc^m. c. J. ex verbo flere aptum accusativi objecti vices sustinere perspicitur hisce locis: Luc. 2,118 funera. Val. 4,448 domos amissas. 2,579 discrimina. 8,94 alumnum.

[2]) Cf. Prop. 3,17,18 et Hor. Ep. 2,1,9: ploro. Tac. Ann. 2,71: illacrimo.

[3]) De struct. fremere alqd. s. alqm. cf. Cass. Hemin. Ann. 2,22 imperia. Val. 3,229 acerba. 4,234 ausum. 5,521 [orantem]. Sil. 16,644 paria.

[4]) Val. 1,47 saeva. 530 questus. 373 fulmen. Cic. Att. 2,19,3 virtutem. Verg. Georg. 3,326 ignominiam. Hor. Od. 4,12,5 Ityn.

Haec constr. fugit Draegerum. Quapropter addo: Hor. Ep. 1,15,7. 20,4. Ovid. Met. 3,94. Mart. 9,32,2. (cf. ingemo p. 123.)

horreo:

Sil. 14,670: Tantumque licere Horruit.

Alia hjs. struct. a Dr. omissae exempla praebet Claudianus (36,72 et 366). [1])

indignor (cf. p. 119):

Luc. 10,113: Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes Indignaris aquis. 5,184.

Sil. 3,616: Idem indignantem transmittere Dardana signa Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum.

Dr. p. 373 adnotat: „indignari (sc. Acc. c. J. recipiens) ist selten". Quam sententiam comprobare non possum quum mihi praeter commemorata praesto sint haec exempla: Cic. de Inv. 2,18,56. Fam. 11,3,1. 28,2 (falso igitur Dr.: „zuerst bei Caesar".). Lucr. 3,870. 884. B. Hisp. 35. Verg. Aen. 7,770. 12,786. Hor. Ep. 2,1,76. Ov. Met. 11,787. 10,604. Curt. 6,1,18. 11,19. Quint. 10,1,101. Just. 24,6. 32,2. Cl. 24,119.

lamentor:

Sil. 13,868: Restare haec ordine duro Lamentor rebus Latiis.

De h. usu cf. Dr. p. 373. Exemplis ejus addo: Tac. Ann. 1,28.

maereo:

Sil. 8,18: Maerebant caede sine ulla
(Insolitum sibi) bella geri siccasque cruore
Inter tela sibi Mavortis hebescere dextras.

Dr. p. 375 laudato Cn. Matii versu pergit: „dann nur noch Cic. p. Sest. 11."

---

[1]) Cf. Or. Imper. Claudii (Tac. ed. Nipp. II. p. 331.): Ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis.

stupeo: [1])

Val. 2,509: Ecce ducem placitae furiis crudescere pugnae
Surgentemque toris stupet immanemque paratu
Aesonides.

Dr. p. 374 contendit: „bei stupere kommt kein Infinitivsatz vor“. Quapropter exemplo allato addo: Verg. Ecl. 6,37. Aen. 12,707. Mart. 4,35. Claud. 95,9. 99,10.

suspiro: [2])

Val. 1,133: (Thetis) Nec Jove majorem nasci suspirat
Achillem.

Eadem constr., de qua ap. Dr. nihil commemoratum invenio, occurrit: Lucr. 2,1164: Suspirat arator Crebrius in cassum manuum cecidisse labores. Ov. Trist. 1,1,27 (omissa copula esse).

timeo (Dr. p. 375):

Luc. 5,371: Nil magis assuetas sceleri quam perdere mentes
Atque perire timet.

trepido: [3])

Luc. 6,614: Propius jam fata moveri
Degeneres trepidant animi.

Similiter Verg. Aen. 12,916: Letumque instare tremescit. — Neutrius structurae Dr. mentionem facit.

C. Acc. c. Inf. recipiunt vv. volendi.

1) vv. volendi c. notione optandi et vehementer nitendi.

a) affirmativa.

laboro:

Luc. 1,264: Justos fortuna laborat Esse ducis motus.

Hjs. struct. a Dr. non commemoratae alia exempla praebet Just. 28,3. 36,1.

[1]) De constr. stupeo alqm. s. alqd. cf. Verg. Aen. 2,31 domum. Luc. 8,16 = Stat. Theb. 1,95 occursum. Val. 2,620 fragorem. 5,95 omina. 4,550 Phinea. Sil. 5,202 fortunam.

[2]) Luc. 6,370 ventos. Sil. 4,779 Bacchum. [Tib.] 4,15,11 amorem.

[3]) Tr. umbram Juv. 10,21. occursum 8,152. lupos Sen. Herc. Oet. 1058.

opto: [1])

Val. 3,104: Manibus—dari quem comminus optem. 8,251*.

Exemplis quae Dr. ad hunc usum illustrandum p. 382 attulit haec adjungo: Ter. Ht. 758. Cic. pr. Rab. 3,10. ad Fam. 1,7,11. Verg. Aen. 4,159. 7,272. Cir. 352.

oro (rogo, precor):

Val. 3,446: Huc Stygias transire minas iramque severi
Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas
(sc. sacerdos peremptos manes.).

Dr. l. l. contendit: „orare nur zwei Mal im silbernen Latein (sc. Acc. c. J. recipit): Tac. und Suet., rogare erscheint noch später: Just. 1,4,9“. Haec opinio refellitur duobus locis Ovidianis: A. A. 1,433: Multa rogant utenda dari. Met. 14,137: Quot haberet corpora pulvis Tot mihi natales contingere vana rogavi. [2])

peto:

Luc. 3,183: Tresque petunt veram credi Salamina carinae.

De hoc usu cf. Dr. p. 386. Haec struct. primum occurrit loco a Dr. omisso: Pl. Pseud. 683 „Multi hau scimus frustra ut simus quum quid cupienter dari petimus nobis“.

posco: [3])

Sil. 13,891: Reddique sibi poscentibus hostem.

Non accurate Dr. de hac constr. p. 390 exponit: „poscere zuerst ganz unsicher Cic. Par. 1,6; Hor.; Senec.; dann erst wieder Justin.“ Nam praeter l. l. mihi haec hujus

---

[1]) Cf. Enn. Ann. 18,15: exopto (Draeg. contendit: „exopto nur Plaut. Mil. 1135“.) Ter. Hec. 4,1,17: praeopto (De hoc usu Dr. omnino non disputat).

[2]) Mart. 12,66: precor cum Acc. c. J. (v. Dr. p. 386 fin).

[3]) Loco Valeriano quem Krauseus l. l. 48. huc pertinere censet 4,194: „Exoptantque virum contraque occurrere poscunt“ accusativus „virum“ non pro accusativo subjecti sed potius objecti pendente e verbo „exoptant“ intellegendus est.

usus exempla praesto sunt: Verg. Aen. 5,342. Ov. Met. 8,698. Claud. 5,144. 26,47. [1])

praecipito:

Val. 2,390†: Tunc Argum Tiphynque vocat pelagoque parari Praecipitat (sc. eos).

De h. quidem loco recte Draeg. p. 383 judicat. Idem p. 309 duos similes locos affert, quibus nudum Inf^{m}. inveniri putat: Verg. Aen. 11,2: Sociis stare tempus humandis Praecipitat. Stat. Theb. 1,679: Si praecipitant miserum cognoscere curae. — Loco Vergil. Inf^{m}. occurrere ego quoque puto, sed altero loco Acc^{m}. c. J. intellegendum esse monent structurae quas praecipitandi verbum aliis locis recipere solet. Nusquam enim legimus „praecipitare aliquem ad vel in alqd.", sed ubique „praecipitare alqd.", e. g. Verg. Aen. 8,443. 12,699: moras. Cic. Arat. 349: obitum siderum. Sil. 3,166: consulta. Itaque ex mea quidem sententia loco Vergiliano Inf^{s}. pro Inf^{o}. objecti accipiendus est, non ut Dr. contendere videtur, pro accusativo finali (vertit enim Dr. l. l. „drängen zur Beschleunigung"); nostro autem loco, loco Statiano tertioque quem laudare omisit Dr., Ap. Met. 3,16,202: „Me capillos ejus clanculo praecipitavit ferre" Accus. c. J. objecti vices sustinens occurrit. —

Hoc loco commemorare mihi liceat nonnullas a classico sermone recedentes structuras quae „ex quadam analogia verborum faciendi et efficiendi" Inf^{m}.(?) recipiunt, ut Dr. p. 395 adnotat. Duae inveniuntur apud Silium: 5,601: „Seroque emptum volet impia Roma Non violasse mei corpus mucrone Sychaei". 7,620. „Vel morte emisse volebant Spectari Fabio". Eadem constructio occurrit ap. Cl. 17,456. 36,194. Similem dicendi usum praebet Stat. Theb. 1,163: „Furtisque immanibus emptum est Oedipodae sedisse loco". Omnibus his locis accusativus subjecti supplendus est,

---

[1]) Cf. Verg. Aen. 9,192: Exposcunt mitti viros. Dr. l. l.: „nirgends bei exposco".

adeo ut structuram Acc. c. J. intellegere nos oporteat. Quam sententiam fulcire videtur Verg. Aen. 10,502: Turno tempus erit magno cum optaverit emptum Intactum (sc. esse) Pallanta; cf. Claud. laud. Stil. 3,188.

b) negativa.

abnuo (=nolo; v. p. 106.):

Sil. 14,599: Descendere fauces
Abnuerant siccae jussorum alimenta ciborum. 3,109*.

pernego:

Sil. 14,19: (Nereus) saevo dividuos conjungi pernegat aestu.

Hujus structurae a Draegero non commemoratae primum exemplum exstare videtur ap. Ter. Eun. prol. 33: Eas personas ab aliis factas prius Latinas scisse sese id vero pernegat. Praeterea laudo: Cic. p. Coel. 27. Quint. 7,5,25. Claud. 17,76.

recuso:

Val. 8,198: Nec me ire recuso
Longius et cunctis redeuntem ostendere terris.

Haec quoque constructio a Draegero non commemoratur. Quapropter addo: Plin. N. H. 29,1,16. Cels. Dig. 17,1,48. Tac. Ann. 1,79.

2) vv. volendi c. notione secum reputandi similiaque.

cogito:

Val. 8,241: Quis modo tam saevos adytis fluxisse cruores
Cogitet?

Perpauca tantum hujus usus exempla quum Dr. p. 364 laudet, ego addo hosce locos: Ter. Heaut. 239. Ad. 32. Catull. 76,2. Caes. B. C. 3,72. B. Hisp. 25. Curt. 4,6,26. 5,3,13. 7,2,9. 8,26. Plin. 4,17,4. 8,24,2. 9,12,2. Pan. 41. Tac. Ann. 3,33. .6. Quint. 5,10,122. 7,1,46. 10,10.

decerno:

Luc. 5, 4: Primum hoc decernite patres
Quod regnis populisque liquet nos esse senatum.

De hac struct. Dr. p. 384,5 exponit: „decerno mit dieser Rection noch nicht im Altlatein, sondern erst seit Cicero". Quam sententiam redarguunt hi loci: Ter. Ht. 146. 940. Hec. 143. 542. 586.

repeto:

Sil. 16,194: Nam repeto, quum—venissem—, magnos vicina ad flumina Baetis Ductores miro quondam me cernere amore.

His. struct. a Dr. mentio fit nulla. Quapropter addo: Orat. Scip. Afr. maj. (Gell. 4,18,3): Memoria, Quirites, repeto, diem esse hodiernum, quo cet. Verg. Aen. 3,184. Plin. 3,5,16. 7,6,7. 13. Tac. Ann. 3,33. Quint. 1,6,10 (memoria r.). 6,3,46. 101. Suet. Gr. 4.

3) vv. volendi c. notione causativa, vv. permittendi, similia.

cogo:

Sil. 13,104: Miscebat dictis facta et nunc robore celsas Educi turres quîs vinceret ardua muri cogebat.

Dr. p. 395 ad hunc usum illustrandum laudatis exemplis Cic. et Liv. adnotat: „sonst mit ut oder dem blosen Inf." Falsam esse hanc sententiam et ex loco laudato et hisce facile perspicitur: Varr. R. R. 2,2,7. Lucr. 1,1010. [Publ. Syr.] Sent. 6,15. Vell. 2,42. Quint. 6,1,14. Claud. 24,189. 26,539. Ceterum Draegeri exemplis adjungenda sunt haec: Cic. Cat. 1,11. Flacc. 36. Phil. 5,8. Or. 14. Liv. 6,44. 7,22. 26,6. 27,8. 32.

do:

Val. 2,325†: Adeo ingentes inimica videri Diva dabat.
2,324: Venus ipsa volens dat corpora jungi.
Sil. 8,484: (Luna) Bissenos haec prima dedit praecedere fasces. 11,362.

De hoc usu Dr. nihil disputat. Primum exemplum illius structurae adeo tamen ut Acc. c. J. vices accusativi finalis sustineat invenitur ap. Plaut. Truc. 4,2,26: Dedi equidem hoc die ei quinque argenti deferri minas (= dedi minas ut ei deferrentur). Alia permulta hujus usus exempla

congessit Kraus. l. l. p. 54, quibus addo: Gell. 14,1,14 (=concedo). Claud. 3,43. 23,389.

facio [1]) (= efficio):

Sil. 14,301: Tabulas decem cui (turri) crescere Grajus Fecerat.

De hoc usu Dr. p. 393 disputat. Exemplis ejus adjungo: Plaut. Rud. 244. Ter. Ht. prol. 31. Enn. Ann. 480. Cato R.R.145. Lucil. frg. 1181k. Volcat. Sedig. ap. Gell. 15,24,1 (bis). Laber. fr. 140. Lucr. 3,301. 878. 5,662. 703. 761. 6,267. 414. 455. 512. Pers. 1,44. Phaedr. 5,5,35. Gell. 5,3,6. Pallad. Apr. 8,3. Mai. 12. Sept. 16. Claud. 35,45. 101,6.

sustineo;

Luc. 8,230: Sustinui nostris vos tantum deesse triumphis.

Phaedr. 4,15,6: Sustineas tibi Habitu esse similes qui sunt virtute impares. Curt. 8,7,5: Nemo illorum quicquam ex patrio more labare sustinuit. Falso igitur Dr. p. 392 contendit hanc structuram nisi Cic. Verr. 2,1,4 non inveniri.

II. Acc. c. Inf. recipiunt adjectiva et participia.

expertus:

Luc. 5,501: Temeraria prono Expertus cessisse deo.

De hac constr. cf. Dr. p. 364. Exemplis ejus addo: Pl. Bacch. 3,2,3. Ter. Hec. 490. Plin. 1,6,3. Pan. 62. Cl. 15,306.

indignatus (cf. p. 113.):

Luc. 5,184: Indignata suum multis servire furorem.

---

[1]) Conficio: Gell. 7,3,39. efficio: Cat. 66,92. Ap. Met. 7,27,501. Falso igitur Dr. p. 394: efficere u. conficere werden nur aus Cicero belegt.

§ 6.

De Acc. c. Inf. qui remotioris objecti loco positi sunt.

A. De Acc. c. Inf. qui sunt numero genetivorum.

Acc. c. Inf. excipiunt

I. verba: a) impersonalia. b) personalia.
II. substantiva.
III. adjectiva et participia.

I^a.

pudet:

Luc. 5,310: Non pudet heu Caesar tibi bella placere
Jam manibus damnata tuis.

De hac struct. cf. Dr. p. 395. Memoratu dignus fuit Ter. Eun. 832: Dispudet sic mihi data esse verba.

taedet:

Sil. 17,509: Verum ubi cunctari taedet dispersa virorum
Proelia sectantem et leviore Marte teneri (sc. proelia).

Hjs. struct. a Dr. non commemoratae aliud exemplum non repperi.

I^b.

memini:

Luc. 2,169: Meque ipsum memini caesi deformia fratris
Ora rogo cupidum vetitisque imponere flammis
Omnia Sullanae lustrasse cadavera pacis
Perque omnes truncos qua cum cervice recisum
Conveniat quaesisse caput. 7,234*. 802†.

De h. constr. cf. Dr. p. 364 sqq. Exemplis ejus adjungo: Ter. Hec. 822. Catull. 99,4. Phaedr. pr. 1. Curt. 4,1,14. 11,14. 10,8,17. Plin. 3,9,27. 5,3,2. Pan. 2.53.84. Gell. 1,22,6. 4,17,11. 16,5,5. 17,10,1. 20,6,15.8,4. Omnibus l. l. occurrunt Inff. Praes.

fama (cf. Draeg. p. 401.): [1])

Val. 2,529: Si vera parentem Fama Jovem summique
tibi genus esse Tonantis. 3,620. 5,316.

Sil. 4,1: Fama per Ausonias turbatas spargitur urbes
Nubiferos montes et saxa minantia coelo
Arrepisse jugum Poenosque per invia vectos
Aemulaque Herculei jactantem facta laboris
Descendisse. 7,504: fama furit.

fides: [2])

Luc. 2,186: Vix erit ulla fides, tam saevi criminis unum
Tot cepisse caput poenas.

Sil. 14,352: Non illum mundi numerasse capacis arenas
Vana fides.

Hanc struct. non demum inde a Ciceronis aetate ut Dr. p. 402 contendit inveniri exemplis a Krauseo p. 75 collectis satis comprobatur.

fiducia (Draeg ?): [3])

Sil. 1,191: Continuoque ferox oritur fiducia menti
Cessisse imperio tantum terraeque marisque.

Hanc constr. primum occurrere puto ap. Verg. Aen. 10,276 (omisso accusat. subjecti). Praeterea laudo: Plin. Pan. 70 et Tac. Ann. 11,28.

jactator (Draeg.?): [4])

Sil. 11,403†: Ille sub hiberno (se) somnos educere coelo
Jactator.

---

[1]) De structura fama alcs. rei cf. Ov. Met. 6,267 = Luc. 4,610 mali. 2,573 furoris. saep. Val. 1,76 operis. al.

[2]) Luc. 1,467 fides audendi. 92 regni. 7,726 favoris. 9,204 libertatis.

[3]) Fid. nostri Luc. 1,362. fati 7,75. manus 8,388. nostri Val. 7,520.

[4]) Cf. Quint. 11,1,17 Ille rerum a se gestarum jactator.

nuntius: [1])

Val. 7,98: Nuntius hic saevas Peliae mittatur ad aures
Hic periisse viros et me si vestra fuisset
Ulla fides reducem potuisse referri.

De h. struct. Dr. p. 405 exponit: „nuntius Botschaft finde ich erst seit Livius.“ Exstant tamen loci Livianis antiquiores: Caes. B. G. 7,43. 8,19. Sall. Cat. 57,1. Jug. 88,5. Catull. 84,10. Ceterum exemplis Draegeri adjungo: Verg. Aen. 6,546. 9,692. 11,447. Curt. 3,7,4. 9,10,19. Claud. 29,475.

spes:

Luc. 5,469: Miserique fuit spes irrita mundi
Posse duces parva campi statione diremptos
Admotum damnare nefas.

Sil. 17,47: Extemplo major cunctis spes pectora mulcet
Finem armis tandem finemque venire periclis.

De hoc usu Dr. p. 404 disputat. Adjungenda sunt exemplis ejus haec: Plaut. Stich. 1,1,22. Epid. 3,1,11. Ter. Andr. 797. Ht. 981. Phorm. 691.

tempus:

Val. 8,756: Te quoque Phrixeae pecudis fidissime custos
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.

Exemplis a Dr. p. 404 allatis addo: Ter. Andr. prol. 11. 631. Ht. 170. Cic. Oecon. fr. 21. ad Att. 10,8,1. 8. Nep. 14,11. 23,13. Plin. 7,3,3. Cl. 15,428. 33,218.

III.

gnarus:

Luc. 3,55: Gnarus et irarum causas et summa favoris
Annona momenta trahi.

Hjs. usus quum Dr. p. 400 exempla non laudaverit, ego affero: Sall Hist. 3,27,60. Liv. 23,29. 33,5. Ov. Met. 8,195. Curt. 3,1,21. Plin. 9,35,55. Tac. Hist. 2,29,65. 5,19.

---

[1]) Luc. 1,471 properantis belli. 8,52 armorum. Sil. 2,190 pugnandi. Ov. Met. 11,349 cladis.

ignarus:

Val. 8,195: Ignarus fixas jam numine ripas
Stare neque adversis ultra concurrere saxis.

Eadem struct. occurrit praeterea hisce a Dr. non commemoratis locis: Ov. Met. 8,196. Curt. 5,3,12. 6,6,11. 9,9,22.

oblitus:

Sil. 3,109: Mene oblite tua nostram pendere salutem.
17,543: Quo fugis oblitus nostris te cedere regnis.

Falso Dr. p. 367 adnotat: „zu oblivisci wird nur angefuehrt Cic. p. Rosc. Com. 17.“ Mihi enim praeter exempla allata praesto sunt haec: Eleg. in Maec. 136. Curt. 8,1,36. 9,6,8.

B. De Acc. c. Inf. qui sunt numero dativorum.

insto:

Sil. 2,376: Hic Hannon reddi propere certamine rapta
Instat et auctorem violati foederis addi.

Dr. de hac struct. disputare omisit. Quapropter laudo: Ter. Andr. 147: Ego illud sedulo negare factum; ille instat factum (sc. esse illud). Liv. (Georg. lex. s. v. insto:) „Instat capi stationes.“

ingemo (cf. p. 112 sq.): [1]

Sil. 14,670*: Ingemuit nimium juris (esse) tantumque licere
Horruit.
15,66†: Quis luce suprema
Dimisisse (se) meas non ingemit horas.

Hanc quoque struct. Dr. non commemorat. Itaque addo: Pers. 5,60. Stat. (v. Lohr.). Mart. 9,60. cf. Cic. Phil. 13,10,23: Quid ingemiscis hostem Dolabellam judicatum?

---

[1]) Ingemo fatis Val. 4,450. conditioni Liv. 36,28. laboribus Hor. Ep. 5,31. exitiis Ov. Pont. 2,5,8.

C. De Acc. c. Inf. qui sunt acc. graeci instar positi.

testor (= testem de alqa re alqm invoco. — Cf. p. 108):

Luc. 7,690: Ac testare deos nullum qui perstat in armis
Jam tibi Magne mori.

Sil. 10,440: Ocius en testare deos si moenia taedis
Flagrabunt Libycis nullas te ferre Metelle
Ausurum in terras gressus. 14,294†.

Eadem constructio a Dr. praetermissa occurrit: Ter. Hec. 475: Neque mea culpa hoc discidium evenisse id testor deos. Cic. Sull. 31,86. ad Qu. Fr. 1,3,2. saep. Sall. Cat. 33,2. Liv. 3,72. Ov. Met. 2,306. 5,45. 6,608. Curt. 5,13,16. Tac. Ann. 3,16. 4,48. Just. 18,7.

D. De Acc. c. Inf. qui sunt numero ablativorum.

fido: [1])

Luc. 4,615†: Parum fidens pedibus (se) contingere matrem.

5,577: Fisus cuncta sibi cessura pericula Caesar.

Sil. 1,431: Temisus qui carmine pollens
Fidebat magica ferrum crudescere lingua.

Primum hic usus invenitur apud Hor. Ep. 1,19,44: „Fidis enim manare poëtica mella Te solum,“ quo loco refellitur Dr[i]. de hac constr. sententia p. 368 prolata: „fidere erst bei Lucan und Silius.“

---

[1]) Quamquam perpaucis locis ut Verg. Aen. 9,378. 11,351. Ov. Met. 15,827 occurrit locutio „fido alicui rei“ tamen Acc. c. J. e fidendi verbo aptos apud nostros ablativorum locum tenere puto quod ubique nostri excepto solo loco Sil. 1,219 „fidere nudo ensi“ structuram „fido alqa re“ praebent.

§ 7.

De Inf. (et Acc. c. J.) qui per ellipsin explicandi videntur.

I. De Infinitivo qui vocatur imperativo.

Val. 3,412: Tu socios adhibe[re] sacris armentaque magnis
Bina deis; me jam coetus accedere vestros
Haud fas interea.

Hoc loco cod. V ceterique ex eo descripti scripturam adhibere (i. e. „adhibeto“ praebent nisi quod cod. M a manu secunda superscriptam lectionem „adhibe“ exhibet; Baehrensius hac emendatione in textum recepta in praefat. (pg. XXIV sq.) adnotat: „adhibe necessarium est vel ob apertam imitationem Verg. Aen. 8,56: Hos castris adhibe socios.“ Quod quidem improbare non audeo; neque tamen in Inf. quem codd. V et M (a manu prima) praebent offendendum esse paucis jam libet explicare. Plerique enim vv. dd. Baehrensium sequuntur non tam ob illam Vergilii imitationem sed quod putant, apud Romanos Infinitivos Imperativi vices sustinentes non inveniri. Quae opinio redarguitur hisce locis: Varr. R. R. 1,31,1: (Tertio intervallo inter vergiliarum exortum et solstitium haec fieri debent:) vineas novellas fodere et postea occare ne sit gleba. vites pampinari sed a sciente. nam id quam putare majus neque in arbusto sed in vinea fieri. ibid. 6: Si prata irrigua habebis simulac foenum sustuleris, irrigare. 3,9,8: (Gallinae) in cubilibus quum parturient tollere substramen et aliud recens subicere. ibid. 10: Si ova gallinis pavonina subicies ... tum denique gallinacea subicere, ut una excudant. Colum. 12,39,1 sq.: Uvam praecoquam bene maturam legere, acina

mucida aut vitiosa reicere eqs. Apul.[1]) Met. 2,23: Sed heus juvenis cave diligenter principum civitatis filii cadaver a malis Harpyiis probe custodias. Ineptias, inquam, mihi narras et nugas meras. Videre hominem ferreum et insomnem certe perspicaciorem ipso Lyaeo vel Argo et oculeum totum. ibid. 6,10: Videris enim mihi tam deformis ancilla nullo alio sed tantum sedulo ministerio amatores tuos promereri, jam et ipsa frugem tuam periclitabor. Discernere seminum istorum congeriem passivam singulisque granis rite dispositis atque segregatis ante istam vesperum opus expeditum probato mihi. Claud. 10,208 sqq.: Hi nostra nitidos postes obducere myrto Contendant: pars nectareis adspergere tecta Fontibus et flamma lucos adolere Sabaeos. — Ut autem nudi Infinitivi qui talem notionem imperativam exhibent Imperativi activi instar positi videntur ita Acc^os. c. J. similiter usurpatos passivi Imperativi vices sustinere puto. Tales Acc. c. J. duos tantum inveni: Varr. R. R. 1,31,1 (v. supra: „id — fieri.“) et 4: Omne pabulum... viciam, novissime foenum secari. Ceterum conferas quae Wilhelmus (l. l. pg. 90) de hac quaestione disputavit.

II. De Acc. c. Inf. in exclamationibus usurpato.

De hoc usu cf. Dr. I pg. 305 sq. et II 411 sq. Apud nostros haec tantum exempla inveni:

Luc. 5,694†: Mundi jam summa tenentem
Permisisse mari, (i. e. ex Weberi interpretatione, quam temerarium ergo fuit eum mari se committere qui mundo imperaturus est!).

---

[1]) Utroque loco Apul. pro Inff. („videre“ et „discernere“) Eysenhardtius Imperativos in textum recepit contra codicis F (quem solum in Apuleji scriptis emendandis sequi opus esse primus H. Keil cognovit dilucideque demonstravit) ceterorumque ex eo descriptorum codicum scripturam.

10,147†: Proh! caecus et amens
Ambitione furor: civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati! (sc. aliquem).
Sil. 1,654: Vestraene Sagunto Spernendum consanguineam protendere dextram?

Fortasse denique huc pertinent:
Val. 8,468: Mene aliquid metuisse putas, me talia velle?
Sil. 11,29: Capuaene furorem
Quem Senonum genti, placuisse? et Dardana ab ortu
Moenia barbarico Nomadum sociata (esse) tyranno
Quisnam — credat?

De tertio Inff. genere quod huc spectat, de

III. Inf. historico,

accuratius Mohrius [1]) disputavit. Omisit laudare: Luc. 4,175. 5,451. Val. 1,213. 668. 2,102. 371. 478. 496. 519. 526. 3,95. 257. 268. 601. 4,25. 273. 494. 500. 690. 783. 5,168. 267. 7,614. 626. 8,220. Sil. 4,300. 5,100. 8,17. 579. 9,4. 11,109. 14,596. 15,721. 580. 17,252. Consuetudo designatur: Luc. 3,596. Val. 7,237. Sil 14,90. 16,341.

[1]) De inf. historico. Diss. inaug. Halis 1878.

Addenda et corrigenda:

Pag. **13**, lin. 16 adde: Mart. 11,98. 12,11. — p. **17** delenda sunt verba: Primum — cohaerent. — **18**,14 adde: scelus est Ov. A. A. 3,551. R. A. 655. — **20**,9 adde: Mart. de Spect. 29,5. — **20**,29: lusus erat c. J.: Mart. 6,2 (bis). — **21**,20 lege: Sacram. — **26**.13 lege: 13,503. 734. — **29**,10 adde: Ov. R. A. 751. Tac. D. 37. Mart. 5,22. 8,69. 12,59. (Acc. c. J.:) 12,43. — **32**,17 l.: foedera. — **32**.22: prodest c. Acc. c. J. v. Kraus. p. 20. — **33**: dolus c. J. Just. 24,2. — **34**,4 l.: Romanam. — **34**,33: Sil. 2,521†. **35**,25 l. iret pro irat. — **38**,6 adde: praeopto Just. 8,4. 11,14. — **40**,2: Just. 29,1. 43,4. (Dr. contendit: „gestio c. J. fehlt bei Historikern.“). — **47**, adn. [1]) lege: Tac. Hist. 3,19. — **58**.16 adde: Just. 2,6. — **64**,22 adde: Ov. A. A. 2,325. — **72**,2 lege: abire. — **80**: culpa Ov. A. A. 2,604. — **86**: virtus: Ov. A. A. 2,15. 603. — **87**,21: spectare sequ. — **88**.10 lege: illud pro illum. — **103**, adn. [1]): conclamo. Petr. 102. — **105**,21 adde: Tac. D. 26. — **105**,29 l.: quaecunque. — **106**,24 adde: Tac. D. 33. — **107**,23 l.: Jam nubif. — **107**,34 l.: omissae. — **112**,13 l.: vv. affectuum.

Index:

VITA:

Natus sum Joannes Reginardus Schmidt Brandenburgii a. d. X. Cal. Jul. a. h. s. LVI patre Alberto, organoedo, et matre Friederica e gente Stein, quos adhuc superstites magnopere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Literarum elementis privatim imbutus adii gymnasium civicum Brandenburgense. Ibi vere a. h. s. LXXVII testimonium maturitatis adeptus in academiam Tubingensem me contuli philologicis studiis operam daturus, ubi per sex menses scholis interfui vv. dd. Flach, Holland, de Keller, Milner, Schwabe. Tum Lipsiam transgressus per tria semestria frequentavi scholas vv. dd. Biedermann, Braune, Curtius, Goering, Lange, Langer, Lipsius, Masius, Paul, Ribbeck, Seydel, Zarncke. Denique paschali tempore a. h. s. LXXIX Halas me contuli, ut ibi, si fieri posset, ad finem perducerem studia mea. Atque audivi in hac universitate scholas vv. dd. Beyschlag, Erdmann, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kramer, Pott, Riehm, J. Zacher, K. Zacher. Regii seminarii philol. Hal. sub auspiciis vv. dd. Dittenberger, Hiller, Keil florentis per duo semestria sodalis fui ordinarius, archaeologici Lipsiensis, cui praeest Overbeck, extraordinarius per sex menses. Praeterea Hiller, Keil, Lange ut philologicis, Biedermann, Braune, J. Zacher ut theodiscis societatibus interessem benigne permiserunt. Quibus viris omnibus optime de me meritis imprimis autem Eduardo Hiller qui studia mea summa cum cura ac benevolentia fovit quantum debeam nunquam obliviscar.

Brandenburgii, typis J. Friedlaenderi.

